De Cassii Dionis librorum 57. et 58. fontibus.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi

ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Horst Jaeger
Berolinensis.

Promotio sollemnis habebitur die XVI. mens. Febr. anni MCMX.

De dissertatione ad ordinem rettulerunt

Otto Hirschfeld, Dr. Prof. publ. ord.

Joannes Vahlen, Dr. Prof. publ. ord.

Typis expressit Aem. Ebering, Berolini Mittelstr. 29.

VIRO · OPTVMO

ADOLPHO · SCHIMMELPFENG

TESTIFICANDAE · PIETATIS · ERGO

D · D · L · M

HORST · IAEGER

A.

Cum Taciti annales, vitae Caesarum Suetonii, Cassii Dionis historia Romana e numero librorum, quibus res imperatorum e gente Julia vel Claudia tractatae erant, sola usque ad hanc aetatem supersint, neque illi scriptores ipsi interfuerint rebus, de quibus exposuerunt, homines docti, ut explorarent, quibus fontibus illi usi essent summa ope nixi sunt, quo fidem eorum et auctoritatem sub censum vocarent.

Sed quod ad Tacitum et Suetonium attinet frustra plerumque adhuc operam navabant, quoniam auctorum, quos illi secuti esse videntur, nihil nisi nomina exiguaque fragmina librorum ad nostram aetatem pervenerunt, quapropter ne Fabia[1] quidem nec Groag[2] qui de Taciti fontibus novissimis temporibus eleganter ac diligentur egerunt, ad exitum perducere has quaestiones potuerunt.

Paulo melius res se habet ad Dionis Cassii fontes cognoscendos, cui cognitioni scriptis Taciti, Suetonii aliorumque cum illius comparatis, quippe qui aliquanto temporis ante scripserint, tamquam fundamentum partum est et caput. Qua ex comparatione eo magis fructus capi videtur, quod Dio cum aliis cum scriptoribus tum maxime cum Tacito multis in rebus mire consentit, quocirca, quicumque Dionis fontes intellegere cupit, id potissimum quaerere debet, unde haec consensio originem ducat.

---

1. Les sources de Tacite. Paris 1893.

2. Z. Kritik v. Tac. Quellen i. d. Hist. Jb. f. kl. Phil. Suppl. Bd. 23 p. 711 sq.

Primo Tacitum vel Suetonium ipsum a Dione esse adhibitum doctos homines censuisse consentaneum est, quam in sententiam scripserunt: Spengel[3], Knabe[4], Sievers[5], qui quidem omnes rerum scriptores, qui post Tacitum erant, auctoritatem eius secutos ne ullam quidem cogitationem habuisse, quam non e Tacito sumpsissent, perhibuit, quamvis neque is nec ceteri, quos nominavi, res singillatim et accurate tractare operae pretium duxerint. Jam non defuere, qui, cum non modo communia et consentanea respicerent sed diversa etiam et discrepantia, illa nisi ex fontibus quibusdam communibus orta non esse contenderent.

Quam sententiam maxime fovit Nissen[6], qui, quod vidit apud Livium[7] omnia fere ex uno fonte haurientem raro aliis adhibitis, velut certum praeceptum transvertit in Tacitum iustis argumentis haudquaquam allatis. Verum tamen fere omnes, qui post Nissenium disserebant de Tacito aut Dione, hoc praeceptum secuti sunt quasi legem sanctissimam; scripserunt in hunc modum: Reichau[8], Sickel[9], Froitzheim[10], Thamm[11], Horstmann[12]; Christensen[13] vero adeo nihil tribuit

---

3. Ueber d. 1. Buch d. Ann. d. Tac. Abh. d. bayr. Akad. 7 fasc. 3. 1855.

4. De font. hist. imper. Juliorum. Diss. Halle 1864.

5. Tac. u. Tib. Stud. z. Gesch d. röm. Kaiser. Berlin 1870. In eundem fere modum dixit H. Peter, Die gesch. Litt. üb. d. röm. Kaiserzeit. Leipzig 1897.

6. Die Hist. d. Plinius. Mus. Rhen. 26 p. 497 sq.

7. Krit. Unters. über d. Quellen d. 4. u. 5. Dekade d. Livius. Berlin 1863. Id. Mus. Rhen. 27 p. 539 sq.

8. De fontium delectu ect. Regiomont. 1865.

9. De font. a Cassio Dione adhib. Göttingen 1874.

10. De Tac. font. in lib. 1. Ann. Diss. Bonn 1871.

11. De font. ad Tib. hist. pertin. Diss. Halle 1874. Th. primus locos, quibus auctores consentiunt, diligenter collegit et contulit.

12. Ueb. d. Quell. d. Tac. i. d. ersten 6 B. d. Ann. Diss. Marburg 1877.

13. De font, a Cassio Dione in vita Neronis enarr. adhib. Diss. Berlin 1871.

momenti rebus, quibus scriptores inter se consentiunt, ut et communibus fontibus eos usos esse et Tacitum adhibitum esse a Dione plane neget.

Alii in hac quaestione ipsi non elaborantes eorum alicuius, quos nominavi, sententiam receperunt, velut Mommsen[14], Ranke[15], Schiller[16], Schwartz[17], Wachsmuth[18]. Simul nimirum scriptores illorum fontium communium nominare cupiebant, quorum e numero alios aliorum temporum res referentes se explorasse putabant Mommsen[19] Cluvium Rufum, Thamm Aufidium Bassum, Plinium maiorem Nissen et Sickel, Clason[20] Servilium Nonianum. At enim diversiores sententias tulerunt, quam ut ad certum eventum has quaestiones perducerent.

Neque tamen deerant, qui alteram illam sententiam Dionem ex Tacito ipso hausisse defenderent velut Cornelius[21], qui locos, quorum consensus maxime eminet, una afferre satis habet, Niese[22], Schwabe[23], verum etiam Haupt[24], quamquam communium fontium partem sequitur, facere non potest, quin etiam eos, qui Dionem Tacito ipso usum inducunt, haud absurde iudicasse concedat. Caute et recte Fabia hanc quaestionem haudquaquam adhuc solutam esse censuit.

De ratione quae inter Suetonium extet et Dionem hunc

---

14. D. Fam. d. Germanicus. Herm. 13 p. 258 sq.
15. Weltgesch. vol. 3 (4. Aufl.). Leipzig 1886.
16. Gesch. d. röm. Kaiserzeit. Gotha 1883. Gesch. d. röm. Reiches unter Nero. Berlin 1872.
17. In P. W. 3 p. 1714 s. v. Cassius Dio.
18. Einl. i. d. Stud. d. alt. Gesch. Leipzig 1895.
19. Cornelius Tac. u. Cluv. Ruf. Herm. 4 (1870) p. 295 sq.
20. Tacitus u. Sueton. Breslau 1870. Jd. Gött. gel. Anz. 1874.
21. Quomodo Tac. in homin. memor. versatus sit. Diss. Marburg 1888.
22. Grundr. d. röm. Gesch. p. 256.
23. In P. W. 4 p. 1579 s. v. Cornelius Tacitus.
24. Bericht üb. Cassius Dio Phil. 43 p. 684 sq., 44 p. 134 sq.

illo usum esse Reichau aliique, contra Christensen et Clason fontes eosdem eos habuisse dicunt.

De omnibus autem his quaestionibus tantopere dissentire homines doctos, non modo ex re ipsa sed potius ex eo cognoscitur, quod non optima ratione plerumque ad opus accesserunt. Cum enim plurimi in auctoritatem Taciti et fontes cognoscendos incumberent, qui recte putatur auctorum, qui tum erant, clarissimus, de eo quidem copiose ac scite exposuerunt, Dionem autem neglexerunt non respectis virtutibus illius et ratione tradendi, vel etiam contemptis. Ac ne Sickel quidem et Christensen, qui Dionem praecipue tractaverunt, acu rem tetigerunt, cum ille res inde a Claudio imperatore usque ad annum p. C. 69. a Dione narratas, res Neronis hic contulerit cum Tacito, quamvis mutilati utriusque auctoris libri, quibus tradiderunt de illis temporibus, ad nos pervenerint, praeterea uterque generatim magis quam singillatim res disseruerit. Qui optime disputavit de Dione et accuratissime, Wilmans[25], prioribus libris eius operam dedit rebus Caesarum omissis.

Quae cum ita sint laudandus est Bergmans[26], qui diligentissime inquisivit in Dionis librum 57, quo agitur de Tiberio imperatore; recte quidem, nam maxime idoneae sunt res Tiberii, quae ad fontes Dionis cognoscendos tractentur, cum libri 57. et 58. quibus de Tiberio exponitur, quoniam maximam in partem incolumes supersunt[27], conferri possint cum Taciti annalium libris 1.—6. quos paucis admodum exceptis incolumes habemus, et cum Suetonii vita Tiberii. Quod Bergmans Tacitum ipsum adhibitum esse a Dione demonstravit, probari potest, quamquam non in omnibus

25. De font. et auctoritate Dionis Cassii. Diss. Berlin 1835.

26. Die Quellen d. vita Tiberii d. Cassius Dio. Diss. Heidelberg. Amsterdam 1903.

27. Ab 57, 17, 8 usque ad 58, 7, 2 praeter ea, quae conservata sunt ab epitomatoribus, Dionis verba deperdita sunt; cf. Boissevain praef. ad vol. 2.

rebus, ut infra singillatim disseram, mihi persuasit, quod autem inter illos discrepantia ex ingenio Dionis et vitiis saepe intellexit[28], sententiam eius sequi non possum, quod item infra accuratius demonstrabo. Accedit, quod media in via constitit, cum satis haberet de libro 57. agere, relicto libro 58. Verum tamen me multum ei debere et eius potissimum libro viam mihi esse expeditam libenter profiteor.

Bergmansii sententiae condemnantur, non satis refutantur a Kesslero[29], qui Tacitum et Dionem ad Tiberii principatus initium tradendum unam famam secutos esse contendit, quae terminetur morte Germanici. Sed Kessler, quamvis de Taciti libris scite et copiose disseruerit, parum respexit Dionem, cuius tradendi rationem et ingenium non intellexit, quibus si operam dedisset, Dionem etiam in posterioribus partibus rerum Tiberii memoriae iterum ac saepius vehementer concinere cum Tacito eum non fugisset, et id quidem locis, quos ex ipsius Taciti ingenio ortos esse apparet atque eminet. Quare temperare mihi non possum quin Kesslerum scientiam nostram rationis quae est inter Dionem et Tacitum non provexisse, ne dicam impedivisse, censeam.

Quoniam igitur, quicumque iam in his quaestionibus solvendis versabantur, quamquam multa et laude dignissima perfecerunt, tamen aliquot in rebus erraverunt, quae si emendantur, illorum auctorum scientiam valde augeri posse apparet, hunc laborem haudquaquam facilem suscipere animum induxi, quem ut efficiam in hunc modum instruxi: disputantem me continui intra res Tiberii (Dionis libb. 57,

28. cf. quae scribit de Dione in extremo libro p. 132: „Ein Jahrhundert später (scil. post Tacitum) versuchte Dio seine vita Tiberii zu schreiben. Die Hauptbedingungen für die Arbeit eines Historikers: Verständnis der allgemein menschlichen Verhältnisse und des Charakters der alten Römer, logische Denkkraft, Kenntnis der staatsrechtlichen und militärischen Verhältnisse dieser Zeit fehlten ihm. . . . Sein Wert ist daher nur darauf beschränkt, daß er ältere Quellen überliefert hat.“

29. Die Tradition über Germanicus. Diss. Leipzig 1905.

58), quas aptissimas esse in quas inquiratur supra dictum est. Primum, quae ratio sit inter Tacitum et Dionem, deinde quae sit inter Dionem et Suetonium ceterosque scriptores antiquos, quorum scripta nobis sunt in manibus, quaeritur, tertium agitur de ceteris Dionis fontibus.

Sed priusquam ad propositum accedam de Dione ipso et more eius scribendi paucis exponere mihi conducere puto, quod erit fundamentum tamquam et principium huius commentationis. Dio item ac Arrianus atque Appianus paene aequales et Romae et in provinciis in re publica administranda versatus est, de qua eum bene meritum esse ex eo apparet, quod imperatorum gratiam ut semper sibi conciliaret sine foedis adulationibus ei contigit. Qua de causa praeter alios eum dignum fuisse, qui res Romanas describeret, in aperto est et hic unus ex omnibus fere rerum Romanarum scriptoribus de rebus, quae pertinent ad rem publicam administrandam, ad leges, ad rem militarem, scite rettulit ac diligenter[30]. Deinde postquam ad res scribendas accedere constituit, decem annos se in materia cogenda, duodecim vero in ipso scribendo consumpsisse ipsius verbis testatur[31], magnum quidem temporis spatium, quod si respicis, eum quoscumque adeptus est libros adhibuisse et, quamquam in commentarios suos omnia, quae in illis inveniebat, recipere non poterat, omnes tamen diligenter legisse et quae alicuius momenti esse censebat delegisse putaveris, quod item ipsius testimonio probatur[32].

Simul vehementer queritur (53, 19, 6), quod historia Caesarum habeat magnas difficultates, quae ut ei obsisterent futurum non fuisse, si unum praecipue auctorem secutus de singulis imperatoribus vel compluribus tradidisset, facile intellegitur[33].

---

30. cf. O. Hirschfeld, Berl. Sitz.-Ber. 1891 p. 845.
31. 72, 23; 76, 2.
32. fr. 1, 2 (Boissevain); 53, 19, 6.
33. Haupt Phil. 43 p. 699. Dionem ad hanc querimoniam eo

Proinde, si verum Dio dixit, quod cur non credamus non est, eum non solum alias res ex aliis fontibus hausisse, verum etiam quae de eadem re duo vel plures scriptores tradiderunt conscripsisse atque etiam illis, quae e certo libro transvertit in suum, ea ex memoria adiecisse, quae in animo plurimos libros legentis haerebant, a fontes eius quaerente semper animadvertendum est. Quodsi locis quibusdam discrepantia invenimus a Tacito aliisve admodum pauca, pleraque consentanea, id imprimis accurate considerandum est, antequam alio utrumque fonte usum esse censeamus, nonne ea diversa ex eo intellegantur, quod plures fontes Dio adhibuit. Atque etiam hoc neglegendum non est Dionem ea, quae apud auctores suos fusius et copiosius enarrata videbat, contrahere et circumcidere pro ratione historiae suae saepe necesse fuisse, qua de causa ea, quae luculente, ornate, facete scripta videmus apud Tacitum interdum ambigua admodum reddita esse nihil habet mirum neque idcirco Dio vehementer vituperandus est, id quod Bergmans facere solet; quis enim est, quin sciat optime et aptissime contracta multo cedere eis, ex quibus contracta sunt!

Iam de Taciti fontibus copiosius disserere non meum esse puto, quoniam ea, quae ad propositum alicuius momenti sunt, in ipsa disputatione absolventur; hoc praedicare non pigebit Tacitum adeo non ex uno auctore pendere ut materiam rerum et copiam uberrimam ex multis scriptoribus aliisve fontibus comportatam composuerit ac digesserit et, ut erat ingeniosus, suis sententiis quasi perfuderit[34]. Nam

---

commotum esse putat, quod Livius, quem maxime antea adhibuisset, eum defecerit. Mirum id quidem, nam et Livio Dionem frequenter usum esse parum adhuc constat et illas difficultates in reapse positas esse cum per se intellegitur, tum probatur Tacito teste eadem fere querente h. 1, 1; ann. 1, 1.

34. cf. Hirschfeld, Zur annalist. Anl. d. Tac. Gesch.-Werks Herm. 25 p. 363 sq; Groag l. c.; Keßler l. c.; Nipperdey in prooemio ad Tac. ann.; Fabia l. c.; qui quidem Tacitum, tametsi multis et variis fon-

libri eius quicumque extant, quamquam inter se pares non sunt, cum non ad summam statim laudem historiae scriptores provehi possint, tamen adeo sunt una specie generis scribendi, una altitudine sententiarum saepe reconditarum, uno animo et ingenio, ut ita dicam, comprehensi et imbuti, ut etiam ei, qui illa omnia non Tacito tribuenda esse contendunt, facere non possint, quin illum ex uno et summi ingenii historico, qui non multo ante eum scripserit, tamquam ex altero Tacito pleraque mutuatum esse censeant[35], id quod parum credibile esse Klebs[36] luculente demonstravit.

Mihi potissimum haec inquirenda esse puto, quantum quoque loco comparando cum Dione Tacitus exemplaria sua commutaverit, quas ipse induxerit res in historiam ab aliis omissas, quas sententias ex suo ipsius ingenio natas inseruerit, qua opera data paululum certe etiam ad Tacitum explorandum me allaturum esse spero et confido.

B.

I.

Tacitum iam apud aequales maxima laude floruisse e Plinii epistulis[37] plane elucet, cuius testimonium, quamvis etiam in alios homines Tacito multo inferiores maioribus laudibus non pepercerit, nequaquam repudiandum est. Sed posteri quanti eum aestimabant?

Sievers l. c. p. 109 Tacitum a posterioribus raro nominari et laudari dicit. Verum id quidem, sed nihil mirum habet. Nam et genus dicendi eius magis proprium est, quam ut

---

tibus eum usum esse demonstrat, nimis pendere ex auctoribus suis non recte perhibuisse mihi videtur.

35. cf. Schwartz l. c. p. 1716.

36. Entlehnungen a. Velleius Phil. 49 N. F. 3 p. 306 sq.

37. cf. praecipue 7, 33, 1, 2; 9, 23, 2.

grammaticis exemplo fuerit et libri eius talibus narratiunculis et fabellis, qualibus scripta Plinii, Suetonii aliorumque abundant et quas potissimum sectabantur posteriores, prope vacant. Deinde cum insequentibus temporibus Romani a studio doctrinae vere reconditae ac subtilis subinde se removerent animos iam non delectatos esse sinceritate Taciti et gravitate facile creditur. Accedit quod libri rerum scriptorum saeculorum p. C. 2. et 3. quibus, dummodo de eisdem temporibus rettulerint atque Tacitus, memoria eius maxime erat colenda, praeter historias Dionis, qui fontes omnino non nominat, omnes perierunt, qua de causa etiam illi scriptores, quos se secutum esse Tacitus ait, velut Aufidius Bassus, Servilius Nonianus, Fabius Rusticus, Cluvius Rufus haud saepius laudantur[38]. Verum tamen Tacitum illis saeculis non modo oblivione non obrutum, sed permagni aestimatum esse, cum inde patet quod apud scriptores saeculorum p. C. 4. et 5. imprimis apud Orosium saepe et honestis verbis laudatur[39], tum ex eo maxime apparet quod imperator Tacitus (a. p. C. 275/76) illum parentem sibi adscivit[40], quamquam ulla cognatione eos coniunctos esse parum constat, quod non fecisset, nisi Tacitus illa aetate si minus apud vulgus at certe apud doctos magna auctoritate usus esset.

Quae cum ita sint Dionem, qua erat doctrina, industria, diligentia Tacitum omnino neglexisse credibile mihi non est et vestigia eius iamiam quaerere incipiam.

In initio libri 57 (c. 1—7) Dio cum Tacito saepe consentit[41], qua de causa Dionem his in capitibus pro fonte

38. Testimonia inveniuntur apud PW. PIR. Peter Hist. rom. reliquiae.

39. cf. Sievers adn. ad p. 109, 110; Schwabe l. c.; Cornelius l. c., cuius disputationem non ita multum valere opinor.

40. Vopisc. Tac. 10, 3.

41. Iam consensus extat inter Dionis 56, 36—44 et Taciti 1, 2,

principe Tacitum habuisse demonstravit Bergmans (p. 14 sq.), quem quidem fugit, consentaneis obstare satis multa diversa,

---

3, 9, quo nixi illi, qui Tacitum plane ex singulis prope auctoribus pendere putant, haec quoque, quae ipse de Augusto cogitat (1, 2, 3) et quae Romanos iudicantes inducit (1, 9) e fonte suo eum hausisse contendunt velut Schwartz l. c. p. 1716 et Keßler l. c. p. 93 sq. neque ullo argumento satis firmo allato praeter ipsum consensum nec singulis rebus satis inquisitis.

Immo vero scriptores paulo diligentius legenti his potissimum capitibus communi fonte eos uti non potuisse dubium esse non potest. Etenim Tacitum haec capita, quae Tiberii rebus tamquam prooemium anteposuit, e fonte quodam sumpsisse plane abhorret a vero. An scriptorem ingeniosissimum, qui sua aetate in omnium admiratione erat et qui Tiberium, etiamsi nonnumquam de ingenio eius et moribus erravit, tam diserte nobis ante oculos posuit, tantum sua mente efficere non potuisse putaveris, ut ipse de Augusto iudicaret, quoniam paulo ante scriptores eorundem temporum sub censum vocaverat? Quod vero et bonum Augustum et malum variis Romanorum sermonibus depingit suae ipsius artis esse inde colligitur, quod etiam alibi non ipse sententiam fert de viris quibusdam rebusve sed alios iudicantes inducit (cf. 1, 4; 4, 7; h. 5, 35). Inest etiam his sententiis acerbus Taciti animus et severus, qui, quamquam omnia ad unum deferri necesse fuisse sibi persuasum est nec bene consuluisse Augustum reipublicae negat, tamen graviter fert, quod ille finem liberae reipublicae fecerit.

Haud aliter Dionem totam Augusti laudationem (56, 35—41, 9) ipsum finxisse sine ulla dubitatione confirmaverim. Quae enim oratio efflata, blanditiis referta, ornata exemplis a fabula et a rerum Graecarum memoria repetitis, tametsi huic generi laudatorio studium ornandi et omnia in optimam partem accipiendi concedendum est, parum conducit Tiberio ut viro vere Romano, parco verbis, simplicitatis studioso. Quare Dio hanc laudationem apud eiusdem aetatis scriptores invenire non potuit, quippe qui, si eam finxissent, vaniloquentiae statim convicti essent. Accedit, quod Dio morem omnium fere scriptorum antiquorum secutus eiusmodi orationes vel fingere vel exornare adamat velut illam Maecenatis de imperio constituendo (52, 14—40; cf. Meyer, de Maec. orat. a Dione ficta. Diss. Berlin 1891).

Quam ad laudationem componendam breves Taciti sententiae tamquam fundamentum Dioni optimo usui esse poterant, quare Dionem Taciti ipsius sententiis usum esse rectius existimari mihi videtur, quod ceteris locis hac disputatione tractatis melius probatum iri spero.

quae eo tollere conatur, quod Dionem, cum mores et res illorum temporum parum intellegerit, res in fontibus repertas sua sponte in falsum commutavisse contendit, quod cum concedendum mihi non videatur hanc partem Dionis, omisso capite 1.[42], paulo fusius pertractabo.

Nempe Tacitum fontem Dionis uberrimum fuisse cum eo refellitur quod multo aliter uterque disponit res ac digerit, tum eo, quod ille quidem, ut, quaecumque vel a Tiberio vel a senatu acta sunt, tradat nititur, hic nisi quomodo Tiberius se gesserit, nihil referre satis habet.

Dio c. 2,1 tradit Tiberium, quamquam iam omnibus fere muneribus principatus fungebatur, tamen re vera principem esse abnuisse, quam sententiam totius capitis gravissimam paragrapho 3. iterum simplicius profert: „*ταῦτα μὲν οὖν οὕτως ἔπρασσε, καὶ τὰ τῆς ἀρχῆς ἔργῳ πάντα διοικῶν ἠρνεῖτο οὐδὲν αὐτῆς δεῖσθαι*“. In hac una re Dio consentit plane cum Tacito, apud quem idem fere legimus sed aliis plerumque verbis[43], at illam Tiberii simulationem non tam

---

42. Quibus ex fontibus Dio cap. 1 hauserit, in quo si non omnes Tiberii mores at certe occultum animum eius et simulationem earumque consecutiones pertractantur, ad certum redigi non potest. Quare nullo pacto probandum est, quod Bergmans p. 10 Dionem ea hoc loco exposuisse contendit, quae Tacitum maxime secutus ex omnibus de Tiberio acceptis finxisset sibi et cogitatione depinxisset, etiamsi neglexeris haec vehementer pugnare cum capp. 7—13 laudibus et illo extremo Dionis de Tiberi dicto: „*Τιβέριος μὲν δὴ πλείστας μὲν ἀρετὰς πλείστας δὲ καὶ κακίας ἔχων κτλ.*“ Nec magis creditur Dionem hanc simulationis imaginem summo colore depictam collegisse ex rebus in capp. 2 et 3 tractatis, cum non omnia hic extent, quae illic afferuntur.

Verum enimvero Dio, quamquam nonnullas Taciti sententias, quem in insequentibus capitibus ab eo adhibitum esse infra demonstrabo, ante oculos ei versatas esse a vero non abhorret, fontem adhibuisse videtur Tiberio infestissimum, cuius vestigia etiam alibi inveniuntur (cf. 57, 19, 1—4; 23, 1—3; 58, 14—16) et qui qualis fuerit certe cognosci non potest.

43. 1, 7: „Nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere republica et ambiguus imperandi. Ne edictum quidem, quo patres

Taciti, ut ait Bergmans p. 15, quam omnis de Tiberio famae esse inde colligitur quod apud Suetonium[44] quoque videtur.

Ceteris rebus Dio plane distat a Tacito. Verbis „*μὴ λέγων αὐτοκράτωρ εἶναι*“ hoc dicitur Tiberium in litteris ad exercitus et provincias datis praenomen imperatoris sibi non vindicasse, quod sane creditur, cum hoc cognomen, non acclamatio imperatoria, esset proprium vocabulum, quo exprimitur illud imperium proconsulare, quod arte est connexum cum ipso principe; quae potissimum erat Tiberii inconstantia, quod omnibus principis muneribus functus et imperatoris et Augusti nomina sibi adsciscere anxie vitavit, quo si usus esset principatum se re vera suscepisse palam esset professus. Tiberium autem hoc cognomen omnino sibi non adsumpsisse probatur Suetonii testimonio et titulorum nummorumque[45]. Dionem igitur ex fonte suo hoc hausisse, neque vero Tacitum male esse interpretatum, ut ait Bergmans p. 15, manifestum est.

Non magis spernendum est verbum: „*ἐς τὰ ἔθνη πάντα*“, quod Bergmans p. 15, quia non legitur apud Tacitum, e Dionis errore natum esse putat; etiamsi enim concedas ei Dionem vocabulo „*ἔθνη*“ provincias senatorias, „*στρατόπεδα*“ imperatoris provincias significasse, Tiberius imperio proconsulari Augusto vivo praestabat provinciarum senatoriarum rectoribus. Quod tum ipsum hac potestate maiore usus est principatu nondum accepto mirum videbatur aequalibus.

Deinde Dio de imperatoris cognomine tradit: „*ψηφισθὲν γὰρ αὐτῷ καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων ὀνομάτων οὐκ ἐδέξατο*“. Senatum precibus Tiberium adisse ut illud cog-

---

in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae. . . . Sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; . . . . litteras ad exercitus tamquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur.“

44. Tib. 24.

45. Suet. Tib. 26; cf. MSTR. 3 p. 769 adn. 2.

nomen acciperet verisimile est, sed hoc verbum: „μετὰ τῶν ἄλλων ὀνομάτων“ inane esse a Bergmansio p. 17 recte demonstratum est, cum Tiberio praeter imperatoris cognomen et nomen Augusti, quod ab eo receptum non esse deinceps refertur, nomina adsumenda non essent.

E proxima sententia apparet Tiberium heredem nominis Augusti institutum esse, quod non memoratum a Tacito, sicut praenomen imperatoris non acceptum, duobus Suetonii locis refertur[46] et in fonte eodem, quo cetera harum paragraphorum a Dione repertum videtur.

Narrationem paragraphorum 2. et 3. qua rerum ordo aliquamdiu intermittitur, ex alio fonte atque ea quae praecedunt fluxisse recte Bergmans (p. 19) cognovisse mihi videtur, quod apparet ex verbis: „ταῦτα μὲν οὖν οὕτως ἔπρασσε“ quibus vel persimilibus Dio a digressionibus ad propositum rerum ordinem reverti solet. Tacitus de eadem re tradit multo probabilius[47]. Aptum id nimirum ex quo deprehendatur quomodo et quantum sit corrupta de Tiberio fama et depravata.

Proxima sententia supra iam commemorata (p. 15) Dio ad priorem fontem reversus Tiberium repudiasse principatum prodit propter senectutem et oculos hebetes. Et praetendisse eum haec, tametsi nec a Tacito nec a Suetonio memorata sunt, a vero non abhorret[48], cum quinquagesimum et quin-

---

46. Suet. Aug. 101. „heredes instituit primos: Tiberium . . . Liviam . . . quos et ferre nomen suum iussit.“ Tib. 26 „ac ne Augusti quidem nomen, quamquam hereditarium, nullis nisi ad reges ac dynastas epistulis addidit.“ Recte memorasse Suetonius mihi videtur, quem hoc testamentum suis oculis vidisse aut in fonte aliquo optimo repperisse manifestum est, quoniam Tib. 23 initium eius ad verbum affert. cf. MSTR. 3 p. 769.

47. 1, 8 „populumque edicto monuit, ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Julii turbassent, ita Augustum in foro . . . cremari vellent. Die funeris milites velut praesidio stetere, multum inridentibus ect.“

48. Scilicet Bergmans l. c. contendere ex errore Dionis natas esse has causas Tiberii, quod andacius est, quam ut respiciatur.

tum annum tum ageret et oculos eius sanos non fuisse ex Plinio et Suetonio[49] colligatur. Sententias uncis inclusas: „ἐξ γὰρ καὶ πεντήκοντα ἔτη ἐγεγόνει“ et „πλεῖον γὰρ τοῦ σκότους βλέπων ἐλάχιστα τῆς ἡμέρας ἑώρα“ Dio illustrandi causa ex memoria adiecisse videtur, cum de annis Tiberii spatio anni erraret[50].

Eodem ex fonte Dio memorare videtur Tiberium denique suasisse ne totum imperium sed partem aliquam sibi deferrent. Id autem notabile est, quod Dio tres partes proposuisse Tiberium tradit, Tacitus et Suetonius certam divisionem non commemorant[51]. Atqui Dionem has tres partes apud illorum temporum scriptorem invenisse credi vix potest, cum Tiberium, quoniam serio dividere in animo non habebat, condiciones nimis certas, quibus facile constringi potuit, in medium non protulisse consentaneum sit. Proinde hic recte iudicasse Bergmans (p. 22) videtur Dionem has tres partes sibi effinxisse accommodatas iuris publici diversitatis exemplo, quo discernebantur Italia Romaque, provinciae imperatoriae cum exercitibus, provinciae senatoriae.

Sed quae sequuntur cum multo distant a praecedentibus, tum omnibus fere rebus quin etiam verbis valde consentiunt cum Tacito. Et alium fontem hic esse adhibitum a Dione inde apparere videtur, quod nunc subito senatores opponuntur Tiberio preces ad eum vertentes, quos, quamquam nisi eorum precibus commotum Tiberium divisionem non proposuisse Tacitus testatur[52], Dio antea prorsus neglexerat.

Leviter significare futuram Asinii sortem et quibus de

49. Plin. n. h. 9, 37, 143; Suet. Tib. 68.

50. cf. fasti Antiates CIL 1¹ p. 335, ex quibus apparet Tiberium tum quinquagesimum quintum annum nondum peregisse, cf. etiam 58, 28, ubi Dio emendate tradit. Tac. 6, 50. Suet. Tib. 73. Sed nihil mirum habet Dionis error, cum Suet. Tib. 5 aetatem Tiberii varie traditam se repperisse scribat.

51. Tac. 1, 12. Suet. Tib. 25.

52. 1, 12 „inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente

causis infensus esset Tiberio, statim depromere magis proprium est Taciti, quam ut haec omnia eisdem paene verbis ex uno fonte eum sumpsisse putaveris. Neque hanc narrationem, in multis scriptoribus extitisse ex eo deprehenditur, quod Suetonius, ut qui compluribus narratiunculis exornaverit initium Tiberii principatus[53], Galli licentiam ne verbo quidem attigit. Quare ex Tacito Dionem hoc hausisse verisimillimum videtur. Sed verba illius nonnunquam huic ideo erant libere commutanda, ut ad imperium tripartitum quaestionem Galli Tiberiique responsionem adaptaret, quamvis corrumperet facetam Taciti dissimulationem. Atque etiam illud apte et restricte dictum: „non ideo iram eius lenivit, pridem invisus etc.“ sustulit, morte Asinii ipsa portenta[54]. Drusum ab Asinio quasi filium esse vindicatum, quod scriptum est nec apud Tacitum nec apud Suetonium, Dio ex memoria addidisse videtur.

Iam Dio statim recedens a Tacito non quomodo Tiberius paulatim cesserit precibus senatus, sed quibus causis commotus principatum tam pertinacissime recusaverit, tradit. Et primum quidem profert naturam eius ad simulationem inclinatam, de qua copiosius exposuit cap. 1., deinde metum legionum Pannonicarum et Germanicarum et Germanici ducis earum. Tiberium Germanico diffisum esse, quippe qui esset in maximo apud populum militemque favore, quoad eum nihil seditiosi moliri sibi persuasit, nihil mirum habet et a Tacito quoque gravissima causa cunctandi eius affertur[55]. Neque autem id probandum est, Tiberium tum in timore militum esse versatum, cum et illo senatus die, quo principatum detrectabat, nondum certior factus esse posset de

---

dixit forte Tiberius se, ut non toti rei publicae parem, ita, quaecumque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum“.

53. Tib. 24, 25.

54. Quae repetitur 58, 3; 23.

55. 1, 7 „causa praecipua e formidine ne Germanicus . . . . habere imperium quam expectare mallet“.

legionum seditionibus, quas non prius paucis diebus post Augusti mortem nuntiatam exarsisse constat[56], et candidatos praeturae Tiberium nominasse ante nuntium seditionum Romam allatum Tacitus et Velleius auctores sint[57], quod nisi rite suscepto principatu non fecisset. Cum eundem errorem inveniamus apud Suetonium (Tib. 25), quocum iam in c. 2. Dio saepius consentiebat, has causas a Dione allatas ex eodem fonte fluxisse credibile est, quo in c. 2. maxime usus est[58]. Quem fontem, ut brevi utar, littera A. significabo. Dioni in proxima sententia: „τοὺς μὲν γὰρ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κτλ". scribenda Taciti locum[59] ante oculos versatum esse, ut ait Bergmans p. 25, si non plane negari at certe confirmari non potest. Verba: „τοῖς ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου καταδειχθεῖσι" a Dione, ut erat eiusmodi rerum studiosus, iniecta esse existimo.

Tiberium vel in publicum non prodisse, ut, si forte vicissent seditiosi, parceretur sibi, tamquam privatus esset, vel morbum praetendisse, quod etiam Suetonius refert (Tib. 25), ex eodem fonte A Dionem sumpsisse verisimile est.

Sed Dio praeter illas causas, quae gravissimae ei videbantur, alias duas profert, quas in alio scriptore, cuius sententiam omittere noluit, eum repperisse deprehenditur ex verbis: „ ἤδη μὲν γὰρ ἤκουσα" et „καὶ προσέτι καὶ ἐκεῖνο". Atqui apud Tacitum easdem causas eodem ordine expositas videmus, quae, cum non extrinsecus allatae in Tiberii animo positae sint, quales in lucem proferre praecipue Taciti est, ex hoc scriptore sumptae esse videntur. Conferas:

56. Tac. 1, 16 „nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum . . . ostendebat".

57. Tac. 1, 14. Vell. Pat. 2, 124, 125.

58. Quod Bergmans p. 24 timorem Germanici a Tacito excogitatum esse contendit, concedi non potest, cum idem a Suetonio tradatur Tib. 25 „Germaniciani quidem . . . summaque vi Germanicum . . . ad capessendam rem publicam urgebant. quem maxime casum timens (Tiberius)" . . .

Dio c. 3, 3.	Tac. 1, 7.
ἤδη μὲν γὰρ ἤκουσα ὅτι — — — ἔπλαττεν, ὅπως μὴ παρ' ἐκείνης (Διουίας) — — — ἀλλὰ παρὰ τῆς βουλῆς ἀναγκαστός, — — — δόξειεν αὐτὴν εἰληφέναι,	Dabat et famae[60] ut vocatus electusque potius a re publica videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse.
καὶ προσέτι καὶ ἐκεῖνο, ὅτι τοὺς ἀνθρώπους ὁρῶν ἀλλοτρίως ἑαυτῷ ἔχοντας διέμελλε καὶ διῆγεν, ὅπως μὴ φθάσαντές τινες νεοχμώσωσιν.	Postea cognitum est ad introspiciendas procerum voluntates inductam dubitationem: nam verba vultus in crimen detorquens recondebat.

Ceterum non ad verbum Dio Taciti sententias recepit. Verba: „καὶ πάνυ αὐτῇ ἤχθετο" ipse addidisse videtur[61] et alteram Taciti causam ita permutat ut astum Tiberii ad recognoscendos procerum animos inductum vertat copiosius in remedium seditionum iam recognitarum.

Sed Dio has causas non tanti momenti fuisse professus quanti illas initio tractatas ad Agrippae necem pergit. Mirum quidem est, quod coniunctione „γὰρ" hanc narrationem adserit sententis antecedentibus, quae Agrippa nondum antea commemorato ea narratione confirmatae non sint, immo hercle rerum ordo interruptus sit. Rectius sane initio cap. 2. supplicium Agrippae tradendum fuit, quod primum post Augusti exitum facinus hoc fuisse cum Tacitus (1, 6) testatur, tum ex Dionis ipsius verbis: „παράχρημα ἀπὸ τῆς Νώλης" apparet, quem hanc rem in ullo fonte hoc loco traditam invenisse credibile non est. Quam rem qua de causa hic collocaverit Dio, intellegitur ex verbis: „τοῦτον μὲν οὖν αὐτίκα

59. In verba Tiberii iuravere . . . mox senatus milesque.

60. Sickel l. c. p. 39 locum Taciti: „dabat et famae" eis adscribit, quibus ille aliorum auctorum sententias afferat. Quid? S. „dabat et famae" idem esse ac „erat et fama" putavit?

61. cf. Bergmans p. 27.

ὑπεξείλετο, τὸν δὲ δὴ Γερμανικὸν δεινῶς ἐφοβεῖτο". (c. 4,1). Ut enim planius faceret, quantopere Tiberius Germanicum timeret, oppositum exemplum addidit, quo demonstraretur, quomodo Tiberius in eum animadversurus fuerit, nisi timore eius coercitus esset. Dionem res aliquo in genere oppositas conferre solere non respecto saepenumero rerum ordine vel temporum semel iterumque experiemur.

Quamquam Dio in hac narratione compluribus rebus et verbis consentit cum Tacito et Suetonio (Tib. 22), tamen eos secutus esse non videtur, cum nonnullae res ab eis omissae legantur apud Dionem[62], qui fortasse etiam hoc ex fonte A sumpserit.

In cap. 4. et 5. quibus Dio seditionem legionum et Pannonicarum et Germanicarum in brevi conspectu ponit, cum Tacito saepe consentit, quo ex consensu Spengel l. c. et Bergmans, qui copiosius rem et magis perspicue tractat, Tacitum a Dione adhibitum esse, eisdem fontibus eos usos esse Froitzheim l. c. et Kessler l. c. collegerunt, quorum omnium argumenta nonnullis locis comprobanda mihi non videntur.

Nempe duos rerum scriptores de eadem re tradentes, dummodo fidei integrae studeant, concinere multis in rebus, etiamsi neque eisdem fontibus usi sunt, neque alter ex altero hausit, mirum non est. Tacitus vero et Dio non modo nisi in rebus maximis et certissimis verbisque paucis, neque vero in eis, quas ex suis studiis Tacitus adiecit velut Drusi Germanicique et Percennii gregarii Vibulenique orationes a Dione ne verbo quidem commemoratas, non consentiunt, sed etiam multis locis et eis potissimum, quibus Taciti eximium in Germanicum studium ad scriptores comparandos usui esse potuit, plane discrepant.

---

62. Ab Augusto Agrippam necatum esse nemo tradit nisi Dio et Vell. Pat. 2, 112. A centurione, quem pertinacia lacessiverat, eum esse trucidatum unus Dio refert.

In ipso cap. 4 initio scriptores inter se discrepant. Nam Tacitus recte tradit 1, 16: „castris aestivis tres simul legiones habebantur,“ Dio seditionis causa demum legiones convenisse perhibet c. 4,1: „καὶ συνελθόντες ἐς ἕν τεῖχος καὶ ἐκεῖνο κρατυνάμενοι πολλὰ καὶ στασιαστικὰ ἔπραξαν“. Non rectius in extremo capite milites hieme inita in singula castra reversos supplicium ex seditiosissimo quoque sumpsisse prodit, quamquam ex verbis: „οἵ τε θρασύτατοι ὑπό τε τοῦ Δρούσου . . ἐφθάρησαν“, quoniam Drusus singulis legionibus simul interesse non potuit, copias tum coniunctas esse deprehenditur, quod item recte traditur a Tacito, apud quem milites supplicio commilitonum consternati et reducti ad paenitentiam in castra hiberna redeunt. Quod discrimen Bergmans p. 30 eo tollere conatur, quod Dionem Taciti verba: „castris aestivis etc.“ haud recte intellexisse scribit, cum Dionis aetate legiones iam non collocatas esse in castris aestivis cogat ex loco Dionis 78, 28; 29, ubi res in Syria gestae traduntur, quae provincia subiecta erat caeli naturae multo leniori quam Germania. Nam cum apertis verbis Tacitus utatur, Dionem, ut qui et ipse stipendia fecisset et rei militaris peritiorem plerumque se praestaret, quam Tacitus, sententiam huius persimplicem adeo depravasse vix quisquam credat. Neque aliter res se habet de supplicio et reditu legionum[63], quare hos errores fonti Dionis tribuendos esse veri similius mihi videtur. Nec magis Bergmansio concedere possum a Dione verba c. 4,2: „ἀπειλοῦντες ἂν μὴ τύχωσιν αὐτῶν, τό τε ἔθνος ἀποστήσειν καὶ ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλάσειν“, quae non leguntur apud Tacitum adiecta esse ex tertii p. C. saeculi consuetudine, quia illis temporibus legiones cum ab Hadriani temporibus conscriberentur in quibus essent provinciis in praesidio, artius coniunctae essent cum eis. Sit sane verum, tamen idcirco

---

63. Varie de hoc supplicio traditum esse ab illorum temporum scriptoribus intellegitur e Taciti verbis 1, 29: „tradunt intra etc . . . alii corpora etc.“

Dionem haec verba addidisse existimari non potest, quae in fonte suo eum invenisse melius intellegetur, si respexeris illam atrocem seditionem[64], quae aegre profligata ingentem odii materiem et irae in animis victorum reliquerat, quam si quis incenderet, in magnum discrimen imperium Romanum deduci posse illius provinciae milites haud ignorasse et exclamasse voces minaces nihil mirum habet.

Atque etiam verba: „*ἢ αὐτὸν ἐκφοβήσαντες ἢ καὶ ἄλλῳ τινὶ τὸ κράτος δόντες*“ in fonte Dionem invenisse puto quamquam a vero abhorrent et de Germanicae seditionis similitudine translata esse videntur ad Pannonicam. Etenim viguisse hanc opinionem iam in illorum temporum scriptoribus ex Vellei verbis elucet.

Haud aliter res se habet in Germanicae seditionis narratione, in qua vero accedit ad Taciti vestigia recognoscenda, quod repugnantia quaedam inter se et parum perspicua apud eum inveniuntur[66], quae cum non extent apud Dionem ex Tacito eum non pendere apparet. Praeterea hic quoque multa diversa apud scriptores inveniuntur.

Nam Dio non tam malis stipendii condicionibus milites in novas res deductos esse perhibet, sicut Tacitus, quam strictim attactis militum postulatis[67] hoc maxime affert: „*καὶ τὸν Γερμανικὸν καὶ Καίσαρα καὶ πολὺ τοῦ Τιβερίου κρείττω ὁρῶντες ὄντα οὐδὲν ἐμετρίαζον . . . τόν τε Τιβέριον ἐκακηγόρησαν καὶ τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐπεκάλεσαν.* Contra Tacitus nec milites prorsus abnuisse Tiberium perhibet neque ad Germanicum imperium ab eis esse delatum nisi leviter tangit[68].

---

64. a. p. C. 6—8.

65. 2, 125 „simulque legiones, quae in Illyrico erant, . . . novum ducem quaerebant“.

66. Quae nuper collata et diligenter tractata sunt a Kesslero p. 22 sq.

67. „*ἀλλὰ τὰ αὐτὰ προτεινάμενοι* (scil. quae Pannoniae legiones flagitaverant).

68. 1, 35 „et si vellet imperium promptos ostentavere“.

Succurrisse militibus Germanicum imperatorem facere, cum facilius se ab illo quae voluerunt assecuturos esse sperarent et fuisse, qui a cogitando processissent ad agendum medioque in strepitu conturbantium Germanicum imperatorem salutavissent facile creditur: inveniuntur nimirum in omni eiusmodi tumultu, qui ceteris omnibus licentia multo praecurrunt et amentia. Sed subitam modo hanc salutationem fuisse nec ab omnibus agitatam nec profectam ex omnium in Tiberium odio ex eo cognoscitur, quod Germanicus in summo rerum discrimine Tiberii auctoritatem auxilio vocavit litteris verbis eius fictis[69], quibus militum animi in praesens compositi sunt.

At eos scriptores, qui Germanico faventes obtrectabant Tiberio, ex huius odio studioque illius partum esse militarem tumultum asseveravisse consentaneum est pariter ac mitigatos esse militum animos, cum puderet eos Agrippinae et Caligulae secessus, rettulerunt; quae ratio tradendi praecipue elucet ex Suetonio[70]. Omiserunt tamen illi se nimio studio Germanici impulsos Tiberio concessisse, cur iure in Germanicum animadverteret, quod non fugit Tacitum recte caventem ne illam famam secutus Germanici integritati noceret, quando quidem eum quamvis innoxium Tiberii invidia ac livore obrutum esse contendit. At ubi de fine seditionis exposuit, recepit illam famam nimis efferentem Germanicum, ne eius de Tiberio merita obscurarentur.

Proinde Dionem hoc loco aliam famam ac Tacitum secutum esse et ab illorum temporum scriptoribus prolatam neque vero, ut ait Bergmans[71], ex suae aetatis usu scripsisse ex comparatione Suetonii plane apparet.

---

69. Dio 57, 5, 3. Tac. 1, 36.

70. Tib. 25. Cal. 1 „legiones universas imperatorem Tiberium pertinacissime recusantis et sibi (Germanico) summam rei publicae deferentes“.

71. p. 34/35; sententiam eius Kessler secutus est p. 31 adn. 9, cuius verba valde inter se pugnant. Nam, etsi paulo ante, Suetonium militum

Deinde Dio et Tacitus, quomodo Germanicus apud milites se gesserit diverse tradunt. Germanicum contra seditiosos infirmum satis et anxium se praebuisse constat, cum etiam ipsi legati tribunique animi mollitiam eius vituperare auderent[72], et eo maxime militibus inrisui erat, quod quasi in theatro se ipsum se trucidaturum esse simulavit. Nempe Tacitus rem in Germanici commodum vertens ab amicis dextram eius vi attentam ipsumque raptum esse in tabernaculum scripsit, sane ut quam celerrime scaena, in qua non floreret, moveretur, neve aliud quicquam animos legentium moveret nisi ira in milites qui optimum ducem pro ludibrio haberent.

Aliam speciem Dionis narratio praebet in qua Germanicus perculsus improvisa licentia militis gladium sibi ut acutiorem offerentis destricto gladio in vaginam remoto de tribunali descendit militibus palam irridentibus et in medio discrimine secum reputat ne sua quidem caede milites placatum iri. Quam narrationem ut ex illa Taciti plane diversa colligi potuisse concedam tantum abest, ut ex alio fonte haustam esse censeam, cuius verba Dio consideratione Germanici adiecta ad ridiculum paene deduxit. Verum tamen Dionem ex industria Germanico verbis fontis depravatis obtrectasse existimandum non est, quoniam, si non eodem modo ei favet quo Tacitus, at certe nusquam male sentit de eo[73].

Atque etiam de legatis ad Germanicum missis in alium

---

erga Germanicum amorem et odium erga Tiberium in maius auxisse, contendit, quo non optimis fontibus eum usum esse demonstraret, tamen hoc loco Dionem idem sibi finxisse praedicat.

72. Tac. 1, 40.

73. cf. Dio 55, 13; 31—33. 56, 11—17; 26. Quod Haupt Phil. 44 p. 159 Dionem magnopere favere Germanico scribit, quibus ex rebus hoc collegerit intellegere non possum, nunquam enim laudibus eum effert sicut Tacitus nisi 57, 18, quod quo referendum sit infra tractabitur (p. 42 sq).

modum uterque tradit: apud Tacitum legati veniunt iussu senatus, qui proconsulare imperium Germanico deferrent et maestitiam eius ob mortem Augusti consolarentur[74]. Dio (§§ 4. et 5.) legatos a Tiberio venisse cum secretis mandatis aperte dicit adiectis Tiberii rationibus a Dione ipso ex cap. 1, ut opinor, collectis. Sed quomodo Dio verba Taciti plana et perspicua ita pervertere potuerit, ut illam legationem, quae minimum valebat ad arcana imperii, commutaret in aliam, cui Tiberius ipse ad consilia Germanici et facta cognoscenda plurimum tribuerit, mihi non est in aperto, neque a Bergmansio satis explicatur (p. 37). At Tiberium re vera illis legatis detulisse mandata quaepiam de rebus privatis facile creditur, quae ut in illam famam, quam vidimus apud Dionem, verterent nullius laboris erat scriptoribus Tiberio infestis. Quocirca iam ex Dionis auctore, quem non ita bene sensisse de Tiberio supra est demonstratum, hoc fluxisse manifestum est.

Postremo Dio de seditione tandem oppressa longe aliter tradit ac Tacitus et Suetonius[75]. Germanicum uxorem filiumque e castris removere conatum esse ab omnibus narratur. Iam Tacitus cum miserabili conspectu feminarum illustrium sine praesidio militari incedentium ad paenitentiam militum animos flexos tum Germanici oratione prorsus attonitos esse prodit. In eundem fere modum scribit Suetonius Cal. 9: legiones ipso Caligulae, militum alumni, aspectu plane esse placatas.

Alia leguntur apud Dionem: „τήν τε γυναῖκα αὐτοῦ Ἀγριππῖναν . . . καὶ τὸν υἱὸν . . . ὑπεκπεμφθέντας ποι ὑπὸ τοῦ Γερμανικοῦ συνέλαβον, καὶ τὴν μὲν Ἀγριππῖναν ἐγκύμονα οὖσαν ἀφῆκαν αὐτοῦ δεηθέντος τὸν δὲ δὴ Γάιον κατέσχον“. Hic milites, postquam per vim retinuerunt Agrippinam filiumque e castris fugientes[76], non nisi precibus Germanici com-

74. 1, 39; cf. 1, 14.

75. Tac. 1, 40 sq; Suet. Cal. 1, 9.

moti gravidam uxorem dimittunt retento puero. Haud dubie milites superiores discesserunt, qui assecuti quod voluerunt paulatim finem fecerunt seditionis. Apparet nimirum scriptores non locis exiguis sed, quod caput est, in tota re dissentire. Quare, quodsi ea quae exposui repeto, ex Tacito Dionem hic non hausisse constat.

Qua de causa etiam ex eodem fonte eos plerasque res non hausisse luce clarius est[77]. Neque enim aut Tacitum aut Dionem illos omnes locos, quibus non concinunt, ex alio quodam fonte non communi inseruisse ceteris rebus ex communi fonte genitis, neque hunc communem fontem suo arbitratu adeo flexisse credibile est. Immo vero, quod ad Dionem attinet, haec duo capita ita sunt una specie, ut ex uno fonte fluxisse videantur. Quod nihil mirum habet, cum Dio non idcirco referat de illis seditionibus, quod rei ipsi magnum momentum tribuerit, sed ut legentes certiores faceret, quomodo esset factum, ut Tiberio timor militum esset causae cunctandi, quod argumentum e fonte A Dionem sumpsisse, supra demonstravi: quapropter narrationem quoque seditionum ex eodem fonte fluxisse incredibile non est, praesertim cum haec narratio brevitate et temporum loco-

---

76. Recte Froitzheim Mus. Rhen. n. F. 32 (1877) p. 340 sq. perhibet etiam a Tacito significari Agrippinam clam fugisse, sicut a Dione („ὑπεκπεμφθέντας“) traditur, quod et feminae sine praesidio incedunt et milites sunt in tabernaculis.

77. Refutanda mihi est Kessleri (l. c.) sententia, qui dicit ea, quae Tacitus et Dio tradunt de rebus a Germanico gestis, maximam in partem fluxisse ex libro amici cuiusdam Germanici vitam eius describentis, qui maximis ne dicam nimiis laudibus eum extulerit (p. 91 dicit, ut ipsius verbis utar. „Sein Germanicus ist eine Lichtgestalt ohne Schatten. . . . . zu tadeln hat der Autor an seinem Helden nichts“). Quod quidem ad Tacitum attinet recte disputasse K. non nego, sed Dionem ex eodem fonte pendere credibile mihi non est. Etenim cum illas res, quibus narratio illustratur, haudquaquam vidimus apud Dionem tum illum scriptorem Germanici studiosissimum infirmitatem eius, quam plane elucere e Dionis verbis K. ipse disserit (p. 29), ita palam professum esse verisimile non est.

rumque neglegentia par sit eis partibus capitum 2. et 3. quae fluxerunt ex illo fonte. Atque etiam hic permultum tribuitur Tiberii consiliis et factis, quod huius fontis proprium esse ex prioribus capitibus colligitur. Enimvero illius auctoris A seditionum narratio ideo aliquantum valet ad historiae fidem confirmandam, quod praeter famam Germanico opportunam, quae cognoscitur cum apud Tacitum tum apud Suetonium et quae illis temporibus in omnium ore fuisse videtur, aliam affert, ex qua, quomodo re vera Germanicus se gesserit, planius cognoscitur.

Deinde Dio strictim attingit excursionem post compositam seditionem a Germanico factam. Cur suscepta sit haec expeditio melius traditur a Dione quam a Tacito, cum hic milites ipsos paenitentia vexatos in hostes duci concupivisse, ut commilitonum manes expiarent hostili sanguine, ille Germanico ipso auctore bellum illatum esse Germanis, ut milites laboribus et praedae spe impedirentur, quominus denuo tumultuarentur, memoriae prodat, quam sententiam, cum ratione et fide bene conveniat cum seditionis compositae narratione, ex eodem fonte A haustam esse verisimile est[78].

Porro Dio omissis rebus in Germania gestis exponit, quomodo Tiberius tractaverit Germanicum et transeundi causa sententiam, quae iam extabat c. 5,1 repetit aliis verbis: „*καὶ ὁ μὲν δυνηθεὶς ἂν τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν λαβεῖν . . . οὐκ ἠθέλησεν*“. Tiberium seditionis periculo ablato litteras dedisse ad filium et uxorem eius consentaneum est, quamquam non commemoratur a Tacito. At propterea Germanicum a patre esse laudatum quod summam rei publicae a militibus oblatam constanter repudiasset, probari non potest, quippe non erat Tiberii aperte confiteri se timuisse ne aliter se gereret filius. Cum igitur simili ratione hoc fictum esse videatur ac ficta erant secreta legatorum mandata (c. 5,4),

---

78. Kesslero Dionem ipsum finxisse hoc argumentum arbitranti (p. 31) non assentior.

e fonte A originem ducere censeo, quo ex fonte proxima quoque sententia: Tiberium specie modo laudasse Germanicum re vera timuisse, quae iam extabat c. 3,1 fluxisse videtur, nisi forte coniuncta est cum alia sententia Taciti, quae statim affertur. Tum vero in illius fontis oratione apte adsertam esse putaveris sententiam, quae legitur cap. 7,1: „*ὡς δ'οὖν οὐδὲν ἔτι νεώτερον ἠγγέλλετο . . . τήν τε ἀρχὴν . . . ὑπεδέξατο*“, qua quidem rerum ordo optime continuatur. Atqui iuvat Dionem longius disserere de Tiberii in Germanicum invidia. Verba quidem: „*οὐ γάρ που καὶ φρονεῖν οὕτως ὡς ἐδόκει, ἐξ ὧν ἑαυτῷ συνῄδει ἄλλα μὲν λέγοντι ἄλλα δε ποιοῦντι ὑπελάμβανεν*“, quibus renovatur memoria capitis I,[79] a Dione ipso composita esse facile creditur. Deinde Dio plerisque sententiis mire consentit cum Taciti capp. 1, 33 et 52:

Dio c. 6, 2.	Tac. 1, 52.
οὐ μέντοι καὶ ἥσθη οἷς ἔπραξεν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλεῖον αὐτὸν ὡς καὶ τὰ στρατεύματα ἀνηρτημένον ἔδεισεν.	sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria angebatur.
c. 6, 3.	1, 33.
ἦν γὰρ ἀντίπαλον τὸ φρόνημα τῷ τοῦ γένους ὄγκῳ ἔχουσα.	atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod — — — quamvis indomitum animum in bonum vertebat. (cf. 1, 69).
c. 6, 4.	1, 52.
ἀλλὰ καὶ ἐπαίνους ἐν τῇ	rettulit tamen ad senatum

79. 57, 1 „*οὔτε γὰρ ὧν ἐπεθύμει προσεποιεῖτό τι, καὶ ὧν ἔλεγεν οὐδὲν ὡς εἰπεῖν ἐβούλετο — — — τόν τε ἔχθιστον ὡς οἰκειότατον ἔστιν ὅτε ἑώρα κτλ.*

βουλῇ τοῦ Γερμανικοῦ πολλοὺς ἐποιήσατο.	de rebus gestis multaque de virtute eius memoravit.
τοῖς τε στρατιώταις τοῖς ἐν τῇ Παννονίᾳ τὰ αὐτὰ τοῖς ὑπ' ἐκείνου δοθεῖσιν ἐδωρήσατο.	cunctaque quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

Adhibitum esse hoc loco Tacitum satis credibile videtur. Etenim, etiamsi discesseris a singulis verbis consentaneis, Dio antea, cum fontem A secutus est, non induxit Agrippinam agentem quid, quo Tiberii iram lacesseret, contra apud Tacitum maximi momenti est illius in nurum odium et invidia, quae unde orta sint aperte traditur[80]. Atque etiam eo, quod Dio in § 4. sententiam quae iam extat in § 2,[81] denuo aliis verbis affert neque laudem in senatu prolatam tradit una cum ea, quam epistulae honestae mandavit (§ 2.), plane apparet, hic alium scriptorem a Dione esse adhibitum ac in §§ 1. 2. Accedit quod et cap. 1, 33 et 52 et 69 magnopere prae se ferunt ingenium Taciti et studium Germanici domusque eius.

Supplicationes decretas esse propter Caesarum bene facta, quod non scriptum est apud Tacitum, Dio sua sponte potius adiecisse alterius loci similitudine permotus, quam e fonte sumpsisse videtur, cum saepenumero tradat de eiusmodi supplicationibus, quibus etiam aliquid momenti eum tribuisse ex eo cognoscitur, quod nonnunquam de ratione earum disseruit[82].

---

80. 1, 33, 69.

81. § 2. „Τιβέριος ἐπῄνεσε μὲν αὐτὸν οὐ μέντοι καὶ ἥσθη, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλεῖον ἔδεισεν." — § 4. „οὐ μὴν καὶ προσεποιεῖτο ἄχθεσθαί σφισιν. ἀλλὰ καὶ ἐπαίνους . . . ἐποιήσατο."

82. cf. e. g. Dio 37, 36, 3. 53, 2. 41, 6, 3. 43, 14; 42; 44. 47, 2; 18. 48, 3; 41. 49, 15. 54, 24; 34.

Iam inveniuntur Taciti vestigia in cap. 12. Dio postquam cap. 11. de comitate Tiberii et modestia copiose exposuit, cap. 12. orditur a sententia: Tiberium, ut ipse modeste se gerebat, idem postulasse a matre, qua sententia facultas Dioni data est, ut de Liviae moribus et cum filio discordia dissereret. Complures fontes ibi esse adhibitos, cum ex rerum varietate, tum ex verbis: „ταῦτα μὲν περὶ τῆς Λιουίας παραδέδοται‘[83] plane apparet. In §§ 4. et 5. honores Liviae enumerantur, de quibus in senatu relatum erat, ubi magnum consensum extare inter Tacitum et Dionem locis collatis demonstratur:

Dio c. 12, 4.	Tac. 1, 14.
ὅθεν ἄλλα τε ἔξω τοῦ νενομισμένου ἐσεφέρετο καὶ πολλοὶ μέν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν.	Multa patrum et in Augustam adulatio alii parentem, alii matrem patriae appellandam
ἄλλοι καὶ τὸν Τιβέριον ἀπ᾽ αὐτῆς ἐπικαλεῖσθαι ἐσηγήσαντο, ὅπως ὥσπερ οἱ Ἕλληνες πατρόθεν, οὕιω καὶ ἐκεῖνος μητρόθεν ὀνομάζηται.	plerique ut nomini Caesaris adscriberetur „Juliae filius“ censebant.
5. ἀγανακτῶν οὖν ἐπὶ τούτοις οὔτε τα ψηφιζόμενα αὐτῇ πλὴν ἐλαχίστων ἐπεκύρου — —	Ille moderandos feminarum honores dictitans — — ne lictorem ei decerni passus est ect.

Ad verbum saepe scriptores consentiunt. Suetonius (Tib. 50) de eisdem Liviae honoribus tradens non discernit sententias eorum, qui „matrem patriae“ ab eis, qui „parentem“ eam appellandam esse censebant, quod separatim traditum est a Tacito et Dione, neque Suetonius, nisi quod Tiberium „Liviae filium“ appellari — Tacitus rectius scribit „Juliae filium“ — senatores censuisse tradit, in senatu de

83. cf. Sio 59, 1, 1, „περὶ μέν οὖν Τιβέριον ταῦτα παραδεδοται.“

omnibus hisce honoribus actum esse adnotat, quos uno senatus die actos eodem ordine enumerant Tacitus et Dio, unde apparet non ab omnibus illorum temporum scriptoribus accurate traditum esse de illo senatus die, quo Tacitum hic esse adhibitum planius extat. Accedit quod Taciti proprium est accurate tradere de rebus in senatu actis, quod perraro fit apud Dionem.

Ceterum Dionem ea, quae de hisce honoribus in senatu tractatis et a Tiberio prohibitis narrat, non in eodem fonte, ex quo res antecedentes hauserit, invenisse sed ex alio inseruisse facile putabis, cum inspexeris, quomodo coniuncta sint cum sententia antecedente. Supra enim Liviam parem potestatem ac Tiberium sibi vindicasse, quin etiam praestare ei voluisse traditur. Tum Dio ad illos honores venit verbis: „*ὅθεν ἄλλα τε ἔξω τοῦ νενομισμένου ἐσεφέρετο*“, quae in fonte quopiam eum repperisse credibile non est, cum senatus facere non posset, ut, sicut voce „*ὅθεν*“ significatur, idcirco Liviam honoribus afficeret, quod Tiberium despiciebat. Dionem ipsum „*ὅθεν*“ scripsisse, ut res per se non cohaerentes coniungeret[84], manifestum est.

In cap. 13. Dio Tiberium inducit exponentem cogitationes de moribus corrigendis, quae consentiunt cum eis quas mandavisse illum litteris ad senatum missis Tacitus tradit. Bergmans p. 45 sq. Dionem illas sententias a Tacito ipso mutuatum esse diserte demonstravit et eleganter, cuius disputationem, quamquam in tota re idem sentio, tamen non omnibus locis probandam et paucis supplendam esse puto.

Hoc caput a Dione ipso ex complurium fontium materie compositum esse ex propria eius ratione componendi res ac digerendi facile cognoscitur. Etenim orsus a describendo, quomodo Tiberius malos filii mores coerceret, facultatem habet tradendi quid de omnium ille moribus cogitaret.

84. cf. p. 22.

Tiberium animadvertisse in multos propter pravos mores ne uno quidem exemplo nec a Tacito repetito nec a Suetonio comprobatur, immo ambo hac in re valde sibi temperasse Tiberium perhibent[85]. Scilicet solare Dionem in maius res augere[86] et in commune vocare. Sed ab eo ipso ficta esse haec sententia videtur ut rationem Tiberii, recusantis, ne in omnes per legem animadverteret, opposito exemplo addito eo magis exprimeret[87]. Qua coniunctione tamquam per vim extrinsecus allata, cum in re ipsa posita non sit, plane indicatur sententias quae sequuntur ex alio rerum sententiarumque ordine alterius fontis adiectas esse, quem quidem invenimus apud Tacitum. Dionem litteras Tiberii commutasse in elocutionem nihil habet mirum, cum, sicut omnes antiquorum temporum historici, verba hominum non ita accurate tractare sibi licere putaret ut res gestas[88], neque eius interesset tam accurate narrare, quomodo re vera actum sit in senatu, quam Tiberii sententias aperte explicare, quae Tiberio ipso loquente magis elucerent.

Sed priusquam Tacitum hic adhibitum esse ad certum redigi possit, quae in illa epistula principis ab illo ficta sint et cogitatione depicta inquirenda sunt. Ipsa Tiberii verba referre noluisse non solum consuetudinis eius est sed etiam ex eius verbis apparet 3,52: „quarum (litterarum) sententia in hunc modum fuit", quibus ipse indicat se suis verbis esse usurum[89].

---

85. Tac. 2, 33. Suet. Tib. 53.

86. Quod iam in cap. 12. cerni potuit ubi Dio pro Taciti „alii . . . alii" scripsit „πολλοί . . . πολλοί" alia exempla affert Horstmann l. c. p. 11 sq.

87. cf. p. 31/32 ad Dio 57, 4, 1.

88. Quod iam vidimus in Asinii Galli interpellatione 57, 2, 5; 6.

89. Cum Tacitus, quod raro fit, orationes hominum ad verbum tradere vult palam hoc profitetur, velut 6, 6: „Insigne visum est earum Caesaris litterarum initium; nam his verbis exorsus est." 15, 67 „Ipsa rettuli verba quia non, ut Senecae, vulgata erant". Quantopere eum

Ceterum non solum verba sed etiam sententiae a Tacito ficta esse videntur. An Tiberium qui occultus et cautus ducitur ab omnibus scriptoribus, dominantium erga luxum impotentiam et vanitatem legum ab Augusto conditarum palam confessum esse putatis senatui, quem firmitatis expertem et adulatione corruptum esse non ignorabat? An eidem senatui illud grave vulnus Italiae quae aleretur ex provinciarum copia eum ipsum monstrasse et ultro cuivis homini audaci viam ad novas res munivisse[90] credibile est? Quod quidem vir providus et patriae amantissimus, ut erat Tacitus ipse, cum amicis idem sentientibus disserere potuit, neque vero Tiberius cum huiusce aetatis senatu.

Deinde in hac epistula sententias reperimus, quas simili modo etiam aliis locis Taciti librorum scriptas videmus, velut illam gravissimam: nihil nisi metum vitiorum et pudorem modestiamque, quae antiquis temporibus Romanis fuissent, adeo bonos mores conservare, quas virtutes nisi homines habeant omnia iacere. Etenim ea sententia extat 3,54: „at si prohibita impune transcenderis neque metus ultra neque pudor est. Cur ergo olim parsimonia pollebat? Quia sibi quisque moderabatur . . . nos pudor . . . in melius mutet.“ In eandem fere sententiam scripsit 3, 26, ubi de legibus disseruit: „neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio

---

eiusmodi orationes suo arbitrio commutaverit, facile cognosces, si orationem imperatoris Claudii quam ipse habuit de Gallorum iure honorum (Dessau inscr. lat. sel. 212) contuleris cum ea, quam Tacitus 11, 23 sq tradit. cf. Nipperdey-Andresen ad Tac. 6, 6; Haker Claudii apud Tac. 11, 24 oratio Malchin 1904; Schmidtmayer, Die Rede d. Kaisers Claudius Zeitschr. f. österreich. Gymn. 41 p. 869 sq; Clason l. c. p. 114, 115.

90. Quod Bergmans p. 50 contendit Tacitum verbis: „Hanc (scil. annonae) maxime, patres conscripti curam sustinet princeps“ curarum principis exiguitatem facete dissimulasse, mihi non probatur, cum Tacito ipsi quae insana essent in re publica occulta non essent neque tantis malis illudere soleret. Immo vatis in modum Tacitus haec portendere videtur.

peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat provenere dominationes etc." Denique conferas hist. 2, 28 „Nam rebus modicis aequalitas facile habebatur". Atque etiam vim legum parvi aestimare Taciti proprium esse videtur; conferas enim 3,54: „Tot a maioribus repertae leges, tot, quos divus Augustus tulit, illae oblivione, hae, quod flagitiosius est, contemptu abolitae securiorem luxum fecere" cum 3, 26—28 et cum loco nuper laudato hist. 2,38[91].

Quae cum ita sint a Taciti demum huic epistulae tantum momenti et gravitatis esse illatum eo potissimum probatur quod, si re vera haec epistula tanti ad arcana imperii momenti fuisset, quantum Tacitus ei tribuit, verba Tiberii vere laudabilia et digna homine ingenuo et patriae amante tantus clamor laudantium, tanti honores insecuti essent, quantos paulo post senatus decrevit Tiberio tribuniciam potestatem Druso filio petenti[92], quorum hoc loco nihil apud Tacitum extat. Accedit quod Suetonius, quamquam in priori Tiberii dicto ad eandem rem pertinente consentit cum Tacito[93] et epistulas imperatorum etiam ad verbum saepius affert, hanc epistulam ne verbo quidem landavit, quam si tantae gravitatis fuisset, eum omissurum non fuisse constat.

---

91. Bergmans ut demonstraret enixus est Tacitum omnes locos 3, 26—28; 52—54; 58 tamquam ad unam rationem revocasse philosophorum ritu, scilicet ut Vespasiani aetatem celebraret. Verum sententia eius facete exposita magis quam credibilis mihi videtur, cum Tacitus non tam alias sententias ex aliis nexas quam aliis locis easdem fere sententias aliis verbis proferat.

92. Tac. 3, 57.

93.

Tac. 2. 23,	Suet. Tib. 33.
nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.	atque etiam si qua in publicis moribus desidia aut mala consuetudine labarent, corrigenda suscepit.

Quoniam cum totam fere epistulam tum maxime eas sententias, quas cum Dione consentire e locis collatis elucet, ex Taciti ingenio ortas esse demonstrare conatus sum, nunc quomodo Dio sententias illas tractaverit, disputabo:

Dio c. 13, 3.	Tac. 3, 52.
ὅτι ἄμεινόν ἐστιν ἰδίᾳ τρόπον τινὰ αὐτοὺς σωφρονίζειν ἢ κοινήν σφισι τιμωρίαν ἐπιθεῖναι.	num coercitio plus damni in rem publicam ferret — — — vel retentum ignominiam et infamiam virorum illustrium posceret.
	Tac. 3, 54.
	Reliquis intra animum medendum est: nos pudor — — in melius mutet.

Ex verbis: „*ὅτι ἄμεινόν ἐστιν*“ apparere videtur Dioni etiam cogitationes Tiberii a Tacito dumtaxat fictas, quibus commotus impetrare a se non poterat, ut leges contra luxum ferret, ante oculos esse versatas, quamquam eas non affert. Sed addit earum loco, quid Tiberius temperantia se assecuturum esse speraverit:

Dio c. 13, 4.	Tac. c. 54.
νῦν μὲν γὰρ ἂν τῷ φόβῳ τῆς αἰσχύνης καὶ μετριάσαι τινὰ αὐτῶν, ὥστε καὶ λαθεῖν ἐπιχειρῆσαι.	nam si velis, quod nondum vetitum est, timeas ne vetere;

Quam sententiam aientem effectam esse a Dione per conversionem, ut eius verbo utar, ex loco negante Taciti iuxta allato Bergmans p. 52 recte adnotavit. Atque etiam memoria Taciti verborum 3, 52: „sed alia sumptuum occultabantur“ hic revocatur. Proxima sententia plane concinit cum Tacito:

Dio c. 13, 4.	Tac. c. 54.
ἂν δ' ἅπαξ ὁ νόμος ὑπὸ τῆς φύσεως ἐκνικήθῃ, μηδένα αὐτοῦ προτιμήσειν.	at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor est.

Verum Dio verbo consequente utitur pro Taciti substantivis „pudor" et „metus", quorum vis non tanti momenti erat Dioni, quanti Tacito eam fuisse supra demonstravi.

Deinde Bergmans p. 55 sq. demonstrare conatur Dioni, cum scripsit sententiam: „*ταῦθ' οὕτω πάντα μέχρι γε καὶ ὁ Γερμανικὸς ἔζη ἐποίει· μετὰ γὰρ ταῦτα συχνὰ αὐτῶν μετέβαλεν*" ante oculos fuisse praecipue Taciti verba 6,51: „occultum et subdolum fingendis virtutibus donec Germanicus ac Drusus superfuere". Nam apparere ex hoc loco Tacitum exponere non subito Tiberium sed per spatium temporis sensim in deterius commutatum esse, quae commutatio Druso mortuo esset perfecta. Testimonia ei sunt alii loci Taciti, quibus Tiberii commutatio significatur[94].

Porro Bergmans ex verbo „*μέχρι γε*" cognosci censet etiam Dionem existimasse boni principatus aetatem ultra mortem Germanici duravisse, quamquam c. 7, 1[95] simul cum morte Germanici factam esse commutationem aperte tradit. Dionem autem maximum momentum tribuisse fini Germanici inde apparere, quod metum Tiberii semper in maius augeret. Atqui haec sententia posita est in prava Taciti et Dionis interpretatione. Sane Tacitus aliquod spatium temporis cogitavit, quo subita commutatio praepararetur (cf. adn. 94), verumtamen repente denique factam esse

---

94. Tac. 4, 1 „nonus Tiberii annus erat, cum r e p e n t e t u r b a r e, saevire ipse ect". 4, 6 „quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit". 4, 7 „„„quae cuncta non quidem comi via, sed horridus . . . retinebat tamen, d o n e c m o r t e D r u s i v e r t e r e n t u r.

95. *καὶ ἐν τοιῷδε αὐτὴν τρόπῳ* (scil. *τὴν ἀρχήν*) *ἐφ' ἴσον ὁ Γερμανικὸς ἔζη, διήγαγεν.*

commutationem post Drusi mortem pro certo tradit. Sed Dio non minus certe Germanici mortem pro tempore commutationis habuisse et locis a Bergmansio laudatis et cap. 19, 1[96] probatur; neque ullum tempus mixti inter bona malaque principatus a Dione memoratur; etenim illud „μέχρι γε", quo Bergmans nititur, ad cohibendam modo sententiam antecedentem scriptum est: si non in perpetuum at certe quoad Germanicus supererat bonum principem Tiberius praestabat. Graecam particulam „μέχρι" vim Latinae „fere" habere nusquam repperi. Dionem autem metum Tiberii a Germanico non ipsum in historias induxisse et in maius auxisse, sed e fonte A recepisse supra (p. 20) demonstravi. Et in eodem fonte mutatum in deterius principatum coniunctum esse cum morte Germanici idcirco verisimile est, quod e Suetonio[97] apparere videtur in illo fontium genere Tiberio obtrectante et favente Germanico, cuius vestigia in fonte A inveniuntur, hanc opinionem viguisse. Certe Tacitus hic meliorem famam conservavit.

In cap. 14. Dio se singulorum annorum res deinceps traditurum esse pronuntiat verbis: „*λέξω δὲ καὶ κατὰ τοὺς καιροὺς ὡς ἕκαστα ἐγένετο, ὅσα γε καὶ μνήμης ἄξιά ἐστιν*" Quamquam Dio his capitibus fonte A, de quo infra copiosius disputabo, quasi fundamento usus esse videtur, etiam alios fontes et in digressionibus maxime, quibus ordo annalis interdum interrumpitur, eum adhibuisse consentaneum est, quorum in numero Tacitum fuisse apparet ex consensu qui extat inter Dionis 57, 17, 7 et Taciti 2, 47. 48, quibus locis uterque motu terrae tradito liberalitatem Tiberii et adversus pecuniam firmitatem laudat.

---

96. *Τιβέριος δὲ ἐπεὶ τὸ ἐφεδρεῦον οὐκέτ' εἶχεν, ἐς πᾶν τοὐναντίον τῶν πρόσθεν εἰργασμένων . . . περιέστη.*

97. Cal. 6. Auxit gloriam (Germanici) . . . cunctis nec temere opinantibus reverentia eius ac metu repressam Tiberii saevitiam quae mox eruperit.

Dionis narratio in speciem cum re antecedente connexa est, cum ille a Cappadocia in provinciae formam redacta, quippe quae pars Asiae sit, transgrediatur ad Asiae urbes motu terrae dirutas. Simul praeter A alterum fontem esse adhibitum in eo cerni potest, quod illas cogitationes de Tiberii erga pecuniam integritate et de sumptibus ad aliorum commodum factis in fonte A eum invenisse nihil verisimile habet, in quo res, quae laudi sunt Tiberio, copiose tractari non solent. Sed sua sponte Dio saepe ad res gestas adnectit vel considerationes de moribus et propriis hominum agentium vel alias res illarum aliquo in genere similes, quas ex fonte uberiore sumptas sua ratione tractabat[98]. Cum vero Dionis rerum ordo et sententiarum vehementer congruat cum Tacito, hunc hoc loco alterum Dionis fontem fuisse credibile est.

Sane nulla re Dio discrepat a Tacito, nisi quod, quae hic pluribus verbis exemplisve explicat, paucis ille comprehendit. Quod Atei nomen deest apud Dionem, mirum non est, cum hic saepe omittat nomina quae scripta videmus apud Tacitum[99]. Numerum lictorum Dio ipse adscribere potuit, cum omnes legatos extraordinarios praetorii ordinis quinque lictores secum habuisse[100] eum scivisse, qui rebus ad rem publicam administrandam pertinentibus maxime studeret, in aperto est. Ordo vero sententiarum Dionis non intellegitur nisi ex Taciti sententiis coniungendo conversis. Etenim cum Dio munificentia Tiberii erga Asiae urbes tradita verbis: „*τῶν μὲν γάρ*“ statim adiungat firmitatem eius adversus alienam pecuniam, plane desunt exempla ex quibus haec virtus effici possit, ut causali coniunctioni „*γάρ*“ vis tribuatur. Quae a Dione omissa invenimus apud Tacitum, qui quidem a publica imperatoris liberalitate ad privatam transgressus

---

98. cf. e. g. 57, 14, 4; 15, 3.

99. cf. Dio 57, 14, 4 cum Tac. 4, 3; 58, 17, 3 cum 6, 2; 58, 27, 4 cum 6, 48.

100. cf. MSTR. 1 p. 386 adn. 1.

non prius quam duo exempla eius attulerit, Tiberium hereditates omnino non accepisse tradit. Quare Dionem Taciti narratione incaute imminuta rem in commune statim vocatam in maius insuper auxisse facile putaveris. Iam accedit quod e sex auctoribus, qui hunc terrae motum memorant, nemo nisi Tacitus et Dio legatum auxilio ab imperatore missum et fisco debita remissa esse refert[101].

Dicat quis ex fonte communi ambos scriptores hasce res sumpsisse! At Tacitum totum rerum ordinem ex fonte recepisse haudquaquam probari potest, cum plane cognoscatur a Tacito ipso interruptam esse in cap. 48 continuationem annalem, quam in cap. 49. verbis: „isdem temporibus ineunte etc." refecit. Nam et Aemiliam Musam et Pantuleium, quorum hereditatibus Tiberium cessisse Tacitus tradit eodem anno quo urbes deletae sunt mortem obiisse eo refutatur quod Tacitus ipse M. Lepidum heredem Musae institutum quinque annis post „pecuniae modicum" appellat (3, 72), quo vocabulo uti non poterat, si ille bonis feminae locupletissimae fruebatur[102].

Cur autem Tacitus publicae Tiberii curae laudem privatae liberalitatis fama amplificet dubium non est respicienti insequentia; etenim huic optimae operae principis vehementer obstat legis maiestatis saevitia: quid refert illa munificentia! quid opus est illo auxilio, dum illa lex perniciosissima amplius in dies viget! Talia Tacitus volvit in pectore, talia nos legentes secum sentire voluit[103].

---

101. Strabo 13, 4, 8. Plin. n. h. 2, 200. Sen. quaest. nat. 6, 1, 13. Suet. Tib. 68.

102. Tacitum semel ac saepius ordinem annalem tamquam vinculum divellere demonstratur ab O. Hirschfeldio l. c. p. 363 sq.

103. Cum hac disputatione Boissevainii opinio convenit (ad cap. 18, 6, 1 a) mirum esse adnotantis Juliae exitum sub a. 17. demum memoratum esse, sed ex eo intellegi posse, quod Dio fortasse clementiae Caesaris in Appuleiam Varillam, de qua Tac. 2, 50 tradit, laudatae oppositum exemplum Juliae necis adiecerit. Quam rem sicut res

Iam magnus consensus extat inter Tacitum et Dionem de morte Germanici ac moribus exponentes:

Dio c. 18, 6.	Tac. 3, 2.
τοῦ δὲ δὴ Γὲρμανικοῦ τελευτήσαντος ὁ μὲν Τιβέριος καὶ ἡ Λιουία πάνυ ἥσθησαν.	·· gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.
v. 18, 9.	2, 69.
ἀπέθανε δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ ὑπό τε τοῦ Πίσωνος καὶ ὑπὸ τῆς Πλαγκίνης ἐπιβουλευθείς.	Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti.
ὀστᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐν ᾗ ᾤκει κατορωρυγμένα καὶ ἐλασμοὶ μολίβδινοι ἀράς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες ζῶντος ἔθ᾽ εὑρέθη.	et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres, ac tabo obliti, aliaque malefica, quis creditur animas numinibus infernis sacrari.
ὅτι δὲ καὶ φαρμάκῳ διεφθάρη, τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐξέφηνεν ἐς τὴν ἀγορὰν κομισθὲν καὶ τοῖς παροῦσι δειχθέν.	2, 73. Corpus nudatum in foro Antiochensium, quae locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa parum constitit.
6. *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι πάντες δεινῶς ἐλυπήθησαν. κάλλιστος*	2, 72. ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum.
μὲν γὰρ τὸ σῶμα ἄριστος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἔφυ, παιδείᾳ τε ἅμα καὶ ῥώμῃ διέπρεπε,	72. visuque et auditu iuxta venerabilis. 73. Nam (utrumque) corpore decoro

---

antecedentes ex Tacito haustam ab epitomatore extinctam esse incredibile non est.

καὶ ἔς τε τὸ πολέμιον ἀνδρειότατος ὢν ἡμερώτατα τῷ οἰκείῳ προσεφέρετο,	sed hunc mitem erga amicos
7. καὶ πλεῖστον ἰσχύων ἅτε Καῖσαρ ὢν ἐξ ἴσου τοῖς ἀσθενεστέροις ἐσωφρόνει καὶ οὐδὲν οὔτε πρὸς τοὺς ἀρχομένους ἐπαχθὲς οὔτε πρὸς τὸν Δροῦσον ἐπίφθονον οὔτε πρὸς τὸν Τιβέριον ἐπαίτιον ἔπραττεν.	72. tanta illi comitas in socios mansuetudo in hostes; cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et arrogantiam effugerat.
8. ἀλλὰ σονελόντι εἰπεῖν ἐν ὀλίγοις τῶν πώποτε οὔτ' ἐξήμαρτέ τι ἐς τὴν ὑπάρξασαν αὐτῷ τύχην οὔτ' αὐτὸς ὑπ' ἐκείνης διεφθάρη.	

Bergmans p. 61 sq. Tacitum hic a Dione adhibitum esse recte ostendit, quamquam argumenta eius paucis supplenda sunt. Contra Kessleri sententia ex eodem fonte scriptores hausisse demonstrantis probabilis mihi non videtur. At recte Kessler p. 73 Zonaram secutus aliter ac Boissevain, qui favet Xiphilino, Germanici morum laudationem (§§ 6—8) postponit mortis eius narrationi (§ 9): hunc ordinem esse naturalem et Zonaram diligentius narrare quod solus de corpore in foro exposito tradiderit. Quem ordinem in locorum collatione recepi.

Praeter Dionem Tacitumque Suetonius et Josephus[104] de Germanici moribus paulo copiosius exponunt, quorum ille non ita virtutes laudat, sicut Tacitus et Dio, sed potius singula corporis insignia, dicta factaque eius deinceps enumerat, hic vero nihil, nisi ut comitatem eius erga provinciales efferat, spectat, unde eos cum Tacito ac Dione com-

---

104. Cal. 1—3. ant. iud. 18, 6, 8.

parandos non esse apparet. Suetonium populari de Germanico fama fere usum esse, ut supra (ad capp. 5. et 6.) demonstravi, Josephum ex memoria scripsisse apertum est.

Quamquam in fonte A Dionem de morte Germanici nonnulla repperisse verisimile est, quoniam apud hunc scriptorem Tiberii principatus in deterius commutatus ex morte illius pendere videtur, tamen alterum praeterea scriptorem ab eo adhibitum esse existimandum est. Omnibus enim prioribus locis, quibus Germanicum commemorat et quibus cum alios fontes tum A sequebatur, si illi non obtrectat at certe laudibus eum non effert[105]. Cum igitur Dio hoc loco laudibus vix cedat Tacito ex scriptore Germanico valde favente eum hausisse consentaneum est. Quem scriptorem Tacitum fuisse cum ex consensu tum ex aliis argumentis apparet.

Nam ex compluribus locis[106] elucet Tacitum de Germanici itinere in Orientem facto, de morte moribusque eius non unum fontem secutum tradidisse sed ipsum ex complurium fontium materia orationem suam confecisse. Quantopere autem Tacitus studeret Germanico ac faveret iam in tractanda legionum seditione vidimus. Quid! hanc laudationem in qua studio suo maxime indulgere et toto pectore scribere ei licebat, ex fonte quopiam Tacitum paene ad verba mutuatum esse putatis? Et illas potissimum sententias, quae maxime Taciti ingenium prae se ferunt (extremo cap. 72. initio cap. 73.), invenimus apud Dionem.

Cui consensui res admodum exiguae apud scriptores discrepantes obsistere non possunt, ut quae ex Dionis ratione tradendi facile intellegantur. Dio nonnullas Taciti sententias

---

105. cf. adn. 73.

106. 2, 70 „addunt plerique iussum provincia decedere". 2, 73 „praetuleritne veneficii signa parum constitit. Nam ut quis . . . diversi interpretabantur". 3, 3. Matrem Autoniam . . . non apud auctores rerum non diurna actorum scriptura reperio.

pluribus verbis exornat, quando quidem saepius eiusmodi sententias rhetorum modo altius exaggerare solet, quod iam vidimus in cap. 1. Nec magis obstat quod Dio Germanicum Pisonis et Plancinae insidiis esse necatum pro certo affirmat, cum in fonte A, qui vulgarem famam sequebatur, eum hoc scriptum vidisse facile creditur, verum etiam Tacitus, quamquam incertam hanc quaestionem reliquit, sententiam suam non ita obtexit ut dubium esse videretur quem sceleris auctorem haberet in animo[107].

Atque etiam hoc animadvertendum est, quod Dio Liviam morte nepotis gaudentem inducit (§ 6); etenim nunquam antea odium Liviae in Germanicum vel Agrippinam significat. Omnino Dio Liviam Tiberio imperitante alio loco agentem non inducit. Cum enim discesseris a 57, 12 et 58, 3, ubi de moribus eius et in Augustum et Tiberium animo copiosius exponit, nusquam nisi hoc loco et 57, 3 eam nominat ubi eam consciam fuisse necis Agrippae a nonnullis scriptoribus traditum esse scribit.

Atqui apud Tacitum praecipue Liviae in Germanicum et Agrippinam odium et aemulatio ad consensum rerum et convenientiam intellegendam maximi momenti est[108], quoniam quibus rationibus hominum consilia et facta regantur et contineantur inquirere huiusce potissimum scriptoris est.

In capite insequente, quo Dio exponit de Tiberio commutato, quemadmodum is ulcisceretur maiestatis accusatos tradit: „*εἴ τις οὐχ ὅσον ἐς τὸν Αὔγουστον ἀλλὰ καὶ ἐς αὐτὸν ἐκεῖνον τήν τε μητέρα αὐτοῦ πράξας τι ἢ καὶ εἰπὼν ἀνεπιτήδειον ἐπεκλήθη*“, quibus ex verbis certum reum ante oculos ei

107. 2, 73 „suorum insidiis externas inter gentes occidisse“.

108. 1, 33 „sed anxius (Germanicus) occultis in se patrui aviaeque odiis“. 2, 43 „et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi“. 4, 12 „vetus Augustae odium“.

esse versatum satis apparet. Et traditur a Tacito (2,49) de sorte Appuleiae Varillae maiestatis reae: „quod probrosis sermonibus divum Augustum ac Tiberium et matrem eius inlusisset Caesarique conexa adulterio teneretur.“ Quoniam Dionem capita Taciti, quae antecedunt (47. 48), quin etiam haec de Appuleia tradita adhibuisse supra ad probabile redigere conatus sum[109], hoc quoque loco illam Taciti rem in animo eius fuisse a vero non abhorret.

Sed cum Dionem discrepare de huius commutationis origine a Tacito supra disseruerim (p. 38 sq.), eo magis mirum videtur, quod haud aliter ac Tacitus commutatum principem magna ex parte assignat Seiani potentiae. Quin etiam eodem modo de genere vita moribusque eius pauca praefatur, quae valde consentiunt cum Tacito. Conferas si placet:

Dio c. 19, 5.	Tac. 4, 1.
συνήρατο δὲ αὐτῷ καὶ συγκατεργάσατο πάντα προθυμότατα Λούκιος Αἴλιος Σηιανός, υἱὸς μὲν τοῦ Στράβωνος ὤν, παιδικὰ δέ ποτε Μάρκου Γαβίου Ἀπικίου γενόμενος,	Initium et causa penes Aelium Seianum, cohortibus praetoriis praefectum — — —. Genitus Vulsiniis patre Seio Strabone equite Romano, — — — non sine rumore Apicio, diviti et prodigo, stuprum veno dedisse.
	4, 2
6. *τά τε ἄλλα συνέστησεν αὐτήν* (praefecturam praet.), *καὶ τοὺς λόχους ἰδίᾳ καὶ χωρὶς ἀλλήλων, ὥσπερ τοὺς τῶν νυκτοφυλάκων, ὄντας ἐς ἓν τεῖχος συνήγαγεν, ὥστε τὰ παραγγέλματα*	Vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent numeroque et robore et visu inter

109. cf. p. 39 sq. et adn. 103.

καὶ ἀθρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν, καὶ φοβεροὺς πᾶσιν ἅτε καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντας εἶναι.	se fiducia ipsis, in ceteros metus oreretur.

Eundem fontem auctores adhibuisse eo refellitur quod ceteris in rebus, quibus hae sententiae insertae sunt, plane discedunt, nisi forte eos diversis ceteroquin fontibus usos hasce paucas sententias, quibus de Seiani vita agitur, ex alio quodam fonte hausisse existimatis. Ad Tacitum certe, cum de Seiano narrata arte connexa sint cum ceteris rebus, haudquaquam hoc pertinet. Etenim, si nihil nisi legentes de Seiani vita moribusque certiores facere in animo habuisset, prius hoc facere debuisset, quoniam saepe supra eum a se esse laudatum ministrum Caesaris magna auctoritate usum ipse scribit[110]. Sed repetitis Seiani genere vitaque id consequi vult ut, quomodo ille tot tantaque scelera impune committere potuisset, declararet. In re ipsa igitur positum est quod Tacitus, ubi animos legentium quam maxime commovere cupiebat, non ex fonte cepit totam narrationem sed ipse diligentissime composuit. Nam Tacitus, postquam 4,1 verbis: „nunc originem, mores et quo facinore dominationem raptum ierit", tamquam argumentum totius libri pronuntiavit, initio humili loco eum natum esse praedicat, quasi eo graviora redderentur scelera adversus domum imperatoriam commissa, deinde pueritia, indole, ingenio memoratis nec omissa foeda illa stupri suspicione[111], quomodo potentia eius magis in dies aucta sit demonstrat, ut, priusquam narretur de facinoribus ipsis, Seianus in odium veniret legentibus[112]. Recte Bergmans p. 56 disputasse videtur primum Tacitum

110. 4, 1 „cuius de potentia supra memoravi". cf. 1, 24; 69. 3, 29; 35; 66; 72.

111. Quo planius elucet Tacitum Seiano obtrectare velle, cum alioquin eiusmodi fabellas neglegere soleat.

112. Respice, quaeso, verba fastidiosa erga Seianum deprompta:

intellexisse quantopere Seiano auctore Tiberium ad saevitiam se vertisset[113].

Cum igitur apud Tacitum haec de Seiano exposita cohaereant cum ceteris rebus et implicata sint, apud Dionem similis ratio frustra quaeritur; neque enim antea nec paulo post de Seiani factis traditur, sed in rerum ordinem longe alium quae Dio dicit de Seiano iniecta esse apparet.

Verisimile est Dionem in fonte annali A scriptum vidisse Seianum a Tiberio donatum esse ornamentis praetoriis et auctam esse in dies potentiam eius et auctoritatem, quia Tiberius ei ut sui simili faveret[114]. Cum autem Seianum nondum commemoravisset hic facultatem nactus praeposuit ornamentis praetoriis a Tiberio datis, a quibus profectus erat, pauca de origine vitaque eius ex Tacito sumpta, quae eo facile discernuntur a rebus proximis, quod Dio verbis: *„τοῦτον οὖν ὁ Τιβέριος κτλ"*. ordinem rerum reficiendum putavit. Cum vero Tacitum secutus Seianum Tiberii commutationis participem induceret coniunctionem adeptus est cum rebus antecedentibus. Atque etiam hoc neglegendum non est quod Dio, qui tradit hoc in capite sub a. p. C. 19, aeque ac Tacitus, qui res a p. C. 23 exponit, cohortes praetorias Romam iam coactas esse prodit, quamquam castra praetoria a. 19. perfecta esse credibile non est[115], unde apparet Dionem

„Tiberium variis artibus devinxit"; „inrepere paulatim militares animos"; „neque senatorio ambitu abstinebat".

113. Suetonius Tiberium per Seianum esse depravatum plane ignorat.

114. Quae cogitatio apud Tacitum nusquam reperta bene convenit illius fontis in Tiberium malevolentiae.

115. Ex antiquorum scriptorum locis (Tac. l. c. Dio l. c. Suet. Tib. 37. Schol. ad Juv. 10, 95) castra praetoria quo temporis spatio sint extructa ad certum redigi non potest, nisi quod ex Tacito a. p. C. 23, quo Seianus Drusum de medio tollere instituit, castra perfecta esse colligitur. Cum autem Seiano, quem non prius Drusum esse aggressum quam potentiam suam militibus Romam coactis confirmavisset consentaneum est, ad animos nobilium sibi conciliandos et

in scriptore illorum temporum hoc sub a. 19. reperire vix potuisse.

Iam tractanda sunt quae Dio tradit de Drusi veneficio (c. 22, 1—4 b), quia nonnullis locis mire congruit cum Tacito, quo consensu commotus Bergmans p. 63 sq. hoc maxime Dionem usum esse perhibuit, quae sententia aliquo modo supplenda mihi videtur et corrigenda. Peropportune accidit quod oratio Dionis a Boissevainio nuper ita emendata est et restituta, ut pleraque certe et gravissima si non omnia a Dione ipso scripta refecta esse videantur.

Sententiam: „*Δροῦσος δὲ ὁ παῖς αὐτοῦ φαρμάκῳ διώλετο*", qua tota res brevi comprehenditur fonti A tribueris, quem etiam redolent causae quibus commotum Seianum ad facinus descendisse non ita apte demonstratur nec minus quam

---

insidias Druso parandas non minus anni spatio opus fuisse in aperto sit, non post anni p. C. 22 initium castris extructis cohortes Romam esse coactas putandum est. Sed quando initium aedificandi castra factum sit neque ex scriptoribus neque ex praetorianorum titulis (CJL. 6, 4 n. 32519 sq.) certe intellegitur. Tiberium non statim imperio suscepto castra Romae institui passum esse ex eo apparet, quod primis imperitandi annis senatum quoquo modo fovit, quem militibus Romam coactis vehementer offendisset Accedit quod Seiani, donec Seium Strabonem patrem virum honestissimum collegam habebat, qui quidem, ut erat maior natu atque pater collegae, auctoritate praevalebat, cohortes Romam cogere non intererat. Quare a vero non abhorret Seianum, ut in suam unius manum praefecturam redigeret, clandestina opera effecisse ut pater specie dumtaxat honoris a. p. C. 17. quantum scimus (cf. PJR. 3 p. 192) in Aegypti praefecturam removeretur. Quare, cum non ante extremum annum p. C. 17. castra muniendi initium fieri potuerit, ante extremum annum p. C. 20. opus perfectum esse verisimile non est, quoniam his castris aedificandis, ut erant magna et ingentibus muris turribusque instructa (Tac. h. 3, 84; Herodian 7, 12, 3. cf. Jordan-Huelsen Topogr. d. Stadt Rom 1, 3 p. 87 sq.) haudquaquam minus tres annos esse tribuendos apparet.

verba adversus Tiberium fastidiosa: „*καὶ τὸν γέροντα ῥᾷστα μεταχειριεῖσθαι*“.

Deinde (§ 3.) Dio Tiberium insimulatum esse, scilicet filii veneficii, tradit, quia neque aegroto illo nec mortuo rerum curam omiserit, sed statim adiecit non certam esse hanc famam. Atqui Tacitus item eiusmodi famam: Tiberium venenum sibi destinatum filio obtulisse, commemorat simulque vehementer refellit (4, 10. 11.), quod ab optimis illorum temporum auctoribus valde discreparet. Sane ex Taciti verbis apparet eum hunc rumorem ipsum audivisse, neque quemquam eum prius libris insertum sub censum vocasse, cui testimonio est, quod Suetonius, eiusmodi rerum studiosissimus investigator (Tib. 62), hunc rumorem ne verbo quidem memorat. Quae cum ita sint, Dionem hanc rem a Tacito mutuatum esse satis perspicuum est. Tamen nescio utrum hoc loco Tacitus ipse ante oculos eius fuerit, quando perpaucis verbis rem attingit, an ex memoria eum scripsisse rectius existimaveris, praesertim cum hanc famam ex eo genitam esse perhibeat, quod Tiberius cotidiana negotia non omiserat neque ab aliis omitti passus sit, quod cum apud Tacitum quoque legatur, tametsi ea ex causa hanc famam partam esse non tradit, facile fieri potuit, ut Dio memoria deceptus duas res falso coniungeret[116].

Tiberium commendavisse nepotes senatus curae e Tacito sumptum esse incredibile non est; sed discrepat ab eo quod Neronem Germanici filium in rostris *(ἐπὶ τοῦ βήματος)* Drusum laudasse Dio tradit, cum ille Tiberium patrem habuisse laudationem praedicet, rectius sane, quia et moris erat Romanorum ut proximus quisque mortuum laudaret et cum Tacito Seneca consentit[117]. Dio igitur hic quoque ipse

116. Animadvertendus est error Dionis, qui nonnullos Drusi necis consciorum statim supplicio affectos esse tradat, quoniam nono anno facinus apertum est (Tac. 4, 8). Nescio an animo Dionis obversatus sit Piso post Germanici exitum in ius vocatus.

erravisse videtur. Eodem modo sententiam, quae sequitur: multos propter gaudium quo morte Drusi affecti erant multatos esse ex memoria a Dione insertam esse putaveris, cum idem eisdem fere verbis iam c. 19,4 (Boissevain) post mortem Germanici scriptum videamus.

Cum Dio in his punitis etiam Agrippinam filiosque fuisse per Seiani insidias perditos prodit (c. 22,4 b), maxime consentit cum Tacito, qui in cap. 4,12 Seiani insidias domui Caesarum paratas in brevi conspectu ponit.

Dionem hic alium fontem ac § 1. adhibuisse inde elucet, quod hic longe alia consilia Seianum in pectore volvisse ac illic profert. Sane mirum est Dionem haec consilia, quibus Drusus multo magis obstabat quam Agrippina filiique, non ante Drusi necem attulisse. Quin etiam posterioribus locis, quibus de auctoritate et potentia Seiani agitur, Dio illa consilia fatalia plane ignorat, neque magna ex parte Seiani opera Tiberium in solitudinem Caprearum remotum esse[118], neque nisi uno et mutilo loco[119] a Seiano insidias Druso Germanici filio paratas esse commemorat.

Verum enimvero Seiani consiliis scelestis liber 4. Taciti tamquam fundamento continetur[120]. Etenim, cum a principio monstrare in animo habeat quomodo ille homo nequissimus domo Caesarum penitus intercisa successionem sibi expediret, primo vita moribusque eius expositis cogitationibusque patefactis, cur a Druso oriatur disserit et, ubi primum hic de medio est latus, ad illas cogitationes longius exequendas, Seianum spe Agrippinae necessariorumque eius male occultata perdere eos tamquam coactum esse ita demonstrat, ut, legentibus de eis, quae Seianus proximis temporibus agitaret, certioribus factis ad

---

117. Ad. Marc. 15 „Tiberius Caesar . . . ipse tamen pro rostris laudavit filium“.

118. 58, 1, 1.

119. 58, 3, 8.

120. cf. 1, 69.

ceteras res tradendas pergere posset, nonnumquam tamen ad illius consilia rediret[121].

Cum vero in universum aestimanti Tacitum ipsum sententias ac res ita digessisse et inter se coniunxisse neque vero ex ullo fonte ita compositas recepisse dubium esse non possit, Dionem haec de consiliis Seiani tradita per sententiam: „ὁ δὲ δὴ θάνατος αὐτοῦ πολλοῖς κτλ" cum rebus antecedentibus non ita apte copulata ex Tacito recepisse vix quisquam negaverit. Sed ex memoria non ex ipso libro Taciti Dionem etiam haec hausisse et cum illo eius loco quo Seianus Livillae matrimonium a Tiberio petivit in unum confudisse significari videtur et verbis: „συνοικήσειν τῇ τοῦ Δρούσου γυναικί" et eo quod rursus erravit in tempore iam hic prolata Tiberii suspicione stupro esse genitum Tiberium Gemellum nepotem, quae recto anno iterum tradita (58,23) hic intempestive in mentem eius venisse videtur[122].

Primo in capite libri 58. Dio, cum supplicium Titii Sabini equitis Romani tradit, valde consentit cum Taciti 4,68—70. Conferas enim:

Dio 58, 1, 1.	Tac. 4, 68.
Λατιάριος δέ τις ἑταῖρος Σαβίνου ἀνδρὸς τῶν πρώτων ἐν Ῥώμῃ	— — — tracto in carcerem inlustri equite Romano Titio Sabino — — — compositos inter ipsos, ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat — — —
τῷ Σηιανῷ χαριζόμενος	cupidine consulatus ad quem non nisi per Seianum aditus, — — —

121. cf. 4, 17; 39—41; 52—54; 59; 60.

122. Dio etiam 58, 3, ubi Seianum ab omnibus nobilium uxoribus spe connubii ad stuprum pellectis dicta maritorum factaque comperisse tradit, huius Taciti loci (4, 3) memoriam repetivisse videtur, cum accurate descripta Seiani ratione ea, quae Tacitus scripsit de Livilla corrupta ante oculos eius versata esse apertum sit. (cf. item Tac. 4, 60).

ἐς τὴν τοῦ οἰκήματος ἐν ᾧ διητᾶτο ὀροφὴν βουλευτὰς κατακρύψας ὑπηγάγετο τὸν Σαβῖνον ἐς λόγους, καί τι εἰπὼν ὧν εἰώθει, ἐπεσπάσατο καὶ ἐκεῖνον πάνθ᾽ ὅσα ἐφρόνει ἐκλαλῆσαι.	69. Tectum inter et laquearia tres senatores haud minus turpi latebra quam detestanda fraude sese abstrudunt; — — — Interea Latiaris repertum in publico Sabinum velut recens cognita narraturus domum et in cubiculum trahit.
τῶν γάρ τοι συκοφαντεῖν ἐθελόντων ἔργον ἐστὶ λοιδορίας τέ τινος προκατάρχεσθαι καὶ ἀπόρρητόν τι ἐκφαίνειν, ἵν᾽ ἀκούσας τι αὐτὸς ἢ καὶ ὅμοιόν τι εἰπὼν αἰτιάθῃ.	68. et postquam Sabinus ut sunt molles in calamitate mortalium animi: — — — iunxit questus, audentius iam onerat Seianum — — —. iique sermones tamquam vetita miscuissent speciem artae amicitiae fecere. Ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarem. . .

Ad rationem, quae inter auctores intercedat cognoscendam Taciti orationis auctoritatem inquiri opus est. Tacitum haec quae legimus de Sabino non ex uno fonte tamquam ad verbum convertisse[123], sed maxima ex parte ipsum composuisse, dummodo aliquod ingenium ei tribuamus, manifestum est. Erat is nimirum damnatus ex amicorum Germanici numero, quos Tacitus ita fovet, ut nonnunquam hoc amore ab integra fide quamvis invitus removeatur. Hic vero occasioni oblatae amorem Germanici domusque eius et misericordiam non minus quam odium cum in alios inimicos eorum tum maxime in Seianum, hominem novum verbis suis praedicandi non deest, quin etiam tantum in ira procedit, ut temperare sibi vix possit, quin statim de illorum delatorum supplicio referret[124]. Denique maxime dat operam, ut

123. Cui sententiae favent Horstmann l. c. p. 8 et Thamm l. c. p. 19.

124. 4, 71 „ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum

etiam legentium animos suo odio afficiat suoque amore et persuadeat eis nullum illis temporibus atrocius indigniusque facinus supplicio Sabini esse commissum.

Sed apparet Tacitum aliquo in genere discessisse ab incorrupta veritate re in maius aucta omnibusque quae obstabant innocentiae Sabini omissis. Sane enim non Germanici amicitiam solum causae fuisse tam celeriter animadvertendi in reum dubium non est, quoniam etiam Liboni novarum rerum satis convicto iudicium a Tiberio ademptum non est[125]. Immo vero Sabinum non ita innoxium fuisse ex nonnullis Taciti verbis probatur[126]. Et studuisse novis rebus Sabinum neque illorum temporum scriptores tam indigne tulisse et vituperasse supplicium eius satis apparet e Plinii verbis n. h. 8, 145: „. . . cum animadverteretur ex causa Neronis, Germanici fili, in Titium Sabinum et servitia eius.“ Constat igitur participem fuisse coniurationis Neronis non solum eum ipsum sed etiam familiam a Tacito omissam ut eo magis animos legentium verteret in miserabilem Germanici amicum. Accedit quod Suetonius, scriptor ad scelera principis tractanda semper promptus, illud facinus, siquidem Tacito credimus, scelestissimum ne verbo quidem commemorat. Quare Tacitum ipsum hanc rem vertisse in talem speciem veri est simillimum.

Atqui in eundem modum ac Tacitus Dio hanc rem accipit culpa Sabini non commemorata, verum etiam amicitia domus Germanici omissa Sabinum innocentem tamquam praedam delatorum inducit. Dioni autem scriptorem ante oculos fuisse, qui copiosius tradidit de illis sermonibus cuius-

---

referre, avebat animus antire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagiti eius repertores habuere.

125. cf. Sievers l. c. p. 47, 59.

126. 4, 70 „Sed Caesar vertit in Sabinum corruptos quosdam libertorum et petitum se arguens; . . . Secutae insuper litterae grates agentes, quod hominem infensum rei publicae punivissent“.

que verba apta erant ad iram optimi cuiusque excitandam ex hac consideratione de accusatorum fallaciis satis elucet. Cum vero ea, quae Dio de omnium delatorum ritu profert, a Tacito disertis verbis tradita videamus de Sabini accusatoribus, eum ipsum a Dione esse adhibitum facile creditur[127].

Proxima libri 58. capita cum Tacito comparanda non sunt, quando quidem ea pars annalium, quae iis respondet deperdita est. Sed ubi primum Taciti oratio denuo coepit, iam vestigia eius apud Dionem invenimus.

In capp. 14. et 15. Dio generatim exponit quam crudeliter animadversum sit in Seiani propinquos familiaresque, quod comprobat nonnullis exemplis infra iterum copiosius traditis. Cum Dionem haec capita non ex uno fonte uberrimo sumpsisse sed magnam in partem ex complurium auctorum materia conflavisse in aperto sit, etiam Tacitum ab eo adhibitum esse haud absurde putaveris, quippe qui, cum praeter ceteros, ut hanc immensam seriem caedum summo colore depingeret, operam dederit, ne ea quidem, quae a ceteris rerum scriptoribus omissa sunt, legentes se celaturum esse ipse profiteatur[128].

Et valde consentit Dio c. 15, 1—3 cum Tacito. Nam postquam § 1. nonnullos Seiani causa in ius vocatos maxima cum libertate se defendisse tradidit, postea c. 19, de unius Terentii equitis Romani libertate ante senatum exhibita exponit, cuius accusationem et orationem in senatu habitam etiam Tacitus 6, 8. 9. memoriae prodit. Alium reum ita se gessisse nec accepimus nec verisimile est, quia Tacitus tantae fortitudinis exemplum vix praetermisit neque Terentium solum ita laudavisset si de aliis idem referre potuisset. Porro ex Taciti

---

127. De canis Sabini fide a Dione laudata cf. infra p. 83 sq.

128. 6, 7; cf. adn. 130. Recte Mommsen, das Verh. d. Tac. zu den Acten des Senats, Berl. Sitz. Ber. 1904 p. 1150 adnotare mihi videtur Tacitum id praecipue spectavisse, ut de omnibus, qui propter amicitiam Seiani vel laesam maiestatem damnabantur traderet et ea quae ab aliis omissa significat ex senatus actis originem ducere.

ipsius verbis plane cognoscitur, quae de Terentio tradidit in earum rerum numero habenda esse, quae ab aliis nondum erant memoratae[129], praesertim cum verba Taciti eo probentur, quod Terentius nisi a Tacito et Dione neque apud Suetonium neque alibi commemoratur, quod idcirco mirum videtur, quia haec oratio ut illis temporibus re vera erat specimen virtutis et constantiae qualia exempla ab antiquis scriptoribus saepe illustrandi causa afferri solebant.

Quare pro certo paene affirmaverim Dionis oculis Taciti locum obversatum esse.

Plerosque autem reos ipsos, priusquam condemnarentur, mortem sibi conscivisse Dio scribit (c. 15,2), ut vel carnificis ignominiam effugerent vel liberis conservarent rem familiarem, quae rationes consentiunt cum eis, quas Tacitus profert 6,29, qui, postquam Pomponium Labeonem uxoremque se ipsos interfecisse tradidit, cur promptae fuerint eiusmodi mortes, ostendit.

Verum Dio argumenta Taciti magis exornat describendo miserabilem damnatorum fortunam, in quo alterius Taciti loci memoriam revocasse videtur:

Dio c. 15, 2.	Tac. 6, 19.
πάντες γὰρ οἵ τινα τοιαύτην αἰτίαν λαβόντες, οὐχ ὅπως ἱππεῖς ἀλλὰ καὶ βουλευταί, οὐδ' ὅπως ἄνδρες ἀλλὰ καὶ γυναῖκες, ἐς τὸ δεσμωτήριον συνεωθοῦντο,	Jacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, illustres ignobiles, dispersi aut aggerati
καὶ ἔς τε τὴν ἀγορὰν τὰ σώματα αὐτῶν ἁπάντων ἐρρίπτετο καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνεβάλλετο.	Jacuit immensa strages etc. — — — corpora putrefacta adspectabantur, dum in Tiberim traherentur.

129. 6, 7 „Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quam-

Aliquos damnatorum de saxo Tarpeio esse deiectos a Tacito eodem loco (16,19) Sex. Marii exemplo, de quo etiam Dio infra plura exponit, comprobatur, neque scio an Dio exemplum Sex. Paconiani in Tulliano strangulati a Tacito 6,39 allatum in animo habuerit.

Sed Dionem forte haec de viris se ipsos interimentibus cogitasse eo refellitur quod parum multas si Tacitum respicis eius modi neces tradit quam ut haec cogitatio ei occurrere potuerit[130].

Haud rectius scriptores ex fonte communi haec hausisse contenditur[131]. Verum enimvero hi duo loci magis Tacitum ipsum ostendunt, quam ut verbis ullius fontis eum usum esse credatur. Nam si quis diligentius inspicit sententias eius, illius caedis narrationem, tamquam tabulam sanguine respersam verbis quamvis adstrictis aptissimus tamen quibus omnium bonorum animi ira inflammarentur, depictam, ideo eam hic esse insertam a Tacito intelleget, ut legentibus, qui forte moderata a Tiberio difficultate nummaria ad spem meliorum temporum erecti essent, denuo in conspectu poneret illius aetatis terrores; quocirca quasi contenta voce perorat his: „Interciderat sortis humanae commercium vi metus; quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur," quae Dionem, quia nimium Tacitum redolent, omisisse mirum non est.

Nec minus in altero loco Taciti ipsius cogitationes cognoscuntur. Cum enim ab eo de hominibus manus sibi inferentibus et traditum et in proximis capitibus ei tradendum esset, talem cogitationem ei, ut qui de rebus humanis cogitare soleret, occurrisse prope necesse erat[132]. Atque etiam aliis

---

quam ab aliis incelebrata". 6, 8 „Nam ea tempestate . . . ausus est eques Romanus M. Terentius etc." Coniunctione „nam" nihil nisi exemplum, puo verba antecedentia affirmarentur, adserere potuit.

130. Tacitus post Seiani cladem duodeviginti exempla mortem sibi consciscentium affert, septem Dio.

131. cf. Horstmann l. c. p. 8.

132. Aliquanto infra 16, 16 Tacitus, cur omnes nobiles, qui

locis, ut in libro tot hominum caede impleto, eius modi dicta eius de illius aetatis indignatione extant[133].

Initio capitis 17. perridiculum fuisse Dio prodit, quod primo ineuntis anni 32. die patres non per unum ut antea sed viritim sacramentum dixerint. Dehinc ut rem magis ridiculam addit rogationem, quam Tacitus assignat Togonio Gallo, et Junii Gallionis rogationem et poenam, semper praedicato Tiberii fastidio in senatum, in praetorianos studio. Tiberium vero, ut planius faceret senatui, quomodo de eo sentiret, petivisse a patribus (c. 18,5), ut Macronem praefectum praetorio aliosque homines militares secum curiam intrare paterentur.

Atqui rogationes Togonii Gallionisque et Tiberii preces, quae apud Tacitum inveniuntur, adeo cum Dione consentiunt, ut aliquo modo cohaerere scriptores manifestum sit: ecce loci consentanei:

Dio 58, 17, 3.	Tac. 6, 2.
τότε δὲ καὶ ἕτερόν τι γελοιότερον ἐγένετο.	cum repente Togonius Gallus, — — — per deridiculum auditur.
προχειρίσασθαί τε γὰρ αὐτὸν ὅσους ἂν ἐθελήσῃ σφῶν, καὶ ἐξ αὐτῶν εἴκοσιν, οὓς ἂν ὁ κλῆρος ἀποφήνῃ, φρουροῖς	Nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam

---

mortem sibi consciscebant, memoret, pronuntiat: „Detur hoc illustrium virorum posteritati ut quomodo exequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.“

133. cf. e. g. 6, 10. „Ne feminae quidem exsortes periculi. Quia occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur.“ 6, 23. „Scilicet medio trienno defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni tot consularium parenti.“

ὁσάκις ἂν ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσίῃ, ξιφίδια ἔχουσι χρῆσθαι ἐψηφίσαντο.	inisset, salutem eius defenderent.
4. τῶν τε γὰρ ἔξω πρὸς τῶν στρατιωτῶν τηρουμένων καὶ εἴσω μηδενὸς ἰδιώτου ἐσιόντος, δι' οὐδένα δῆλον ὅτι ἄλλον, ἀλλὰ δι' ἑαυτοὺς μόνους ὡς καὶ πολεμίους οἱ ὄντας τὴν φρουρὰν αὐτῷ δοθῆναι ἔγνωσαν.	Quam deinde speciem fore sumentium in limine curiae gladios?
18, 1. ὁ δ' οὖν Τιβέριος ἐπῄνεσε μὲν αὐτοὺς καὶ χάριν δῆθεν τῆς εὐνοίας σφίσιν ἔγνω.	Tiberius tamen, ludibria seriis permiscere solitus, egit grates benevolentiae patrum — — —
τὸ δὲ δὴ πρᾶγμα ὡς καὶ ἀηθες διεκρούσατο.	neque ut ultra abolitionem sententiae suaderet.
c. 18, 3.	6, 3.
ὥστε καὶ Ἰούνιον Γαλλίωνα θέαν τοῖς διαστρατευσαμένοις αὐτῶν ἐν τῇ τῶν ἱππέων ἕδρᾳ δίδοσθαι ἐσηγησάμενον	At Iunium Gallionem, qui censuerat, ut praetoriani actis stipendiis ius apiscerentur in quattuordecim ordinibus sedendi violenter increpuit
	— — — Gallio — — —
4. μὴ μόνον φυγαδεῦσαι,	statim curia, deinde Italia exactus;
αὐτὸ τοῦτο ἐπικληθέντα ὅτι σφᾶς ἀναπείθειν ἐδόκει τῷ κοινῷ μᾶλλον ἢ ἑαυτῷ εὐνοεῖν,	velut coram rogitans, quid illi cum militibus, quos neque dicta nisi imperatoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset. — — — An potius discordiam et seditionem a satellite Seiani quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret?

ἀλλὰ καὶ ἐπειδὴ ἔγνω αὐτὸν ἐς Λέσβον ἀπαιρεῖν,	— — — et quia incusabatur facile toleraturus exilium, delecta Lesbo insula nobili et amoena,
τῆς τε ἐκεῖ ἀσφαλοῦς εὐδαιμονίας ἀφελέσθαι καὶ ἐς φυλακὴν τοῖς ἄρχουσιν, ὥσπερ ποτὲ τὸν Γάλλον παραδοῦναι.	retrahitur in urbem custoditurque domibus magistratuum.
	6, 15 (a. p. C. 33).
5. ᾐτήσατο παρὰ τῆς βουλῆς οὐ πολλῷ ὕστερον ἀρκεῖν οἱ τόν τε Μάκρωνα καὶ χιλιάρχους ἐς τὸ συνέδριον ἐσάγεσθαι.	Dein — — — flexit ad graviora et offensiones ob rem publicam coeptas, utque Macro praefectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit.
οὐ γάρ που καὶ ἐδεῖτό τι αὐτῶν ὅς γε οὐδὲ ἐς τὴν πόλιν ἔτι ἐσελθεῖν ἐνενόει, . . .	— — — ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium numquam adiit, — —
6. καὶ τοῦτο καὶ αὐτοὶ οἱ βουλευταὶ ὡμολόγησαν.	Factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto — — —.

Ex fonte communi scriptores hausisse idcirco credibile non est, quod sententiarum ordine et rerum plane discrepant, nisi forte utrumque has res ex fonte communi in orationem suam diversis ex fontibus ceteroquin compositam inseruisse putatis. Etenim Tacitus, ut qui copiosissime res in senatu actas memoret, si eodem fonte usus esset, quo Dio, sacramentum viritim dictum et senatus consultum de praetorianorum stipendiis omissurum fuisse verisimile non est.

Verum etiam in his capitibus Dionis modus componendi magis cernitur, quam ut in uno fonte res eadem ratione coniunctas reperire potuerit. Tradit enim, quod etiam aliis locis videtur, ratione quadam proposita non anxie servato temporis ordine, cum id maxime spectaret, ut, quomodo

Tiberius faveret praetorianis, senatum contemneret, demonstraret, quam ob rem ex pluribus fontibus singulas res comportasse videtur.

Profectus est a senatus sacramento. Quam rem cui Dio sicut omnibus, quae ad rem publicam administrandam pertinent, cui solus ex illorum temporum scriptoribus studebat, magnum momentum tribuisse videtur[134], non ex fonte A vel ex alio, quem ordinem annalem servantem sequi solebat, sed ex alio quodam eius modi rebus ab aliis historicis incelebratis referto, quem qualis fuerit iam non cognoscere possumus, originem ducere verisimile est.

Tum alio exemplo Dio demonstrat ridiculam senatus adulationem, allata Togonii sententia blanditiosa. Quod Togonium rogantem non nominat, mirum non est, cum hic non tam eius interesset de eo, qui hanc sententiam dixerit exponere, sicut statim de Gallione, quam illustrare totius senatus vilitatem[135].

Quod autem Dio hanc rem inducit verbo: „*τότε δὲ καὶ κτλ*“. ideo mirum esse videtur, quod, quo tempore aliquid gestum sit, significare non solet, nisi cum vel ex digressione quadam revertit ad temporum ordinem vel ad novum fontem transire in animo habet[136]. Quare Dio hanc quoque rem ex alio fonte ac antecedentem sumpsisse videtur, cum praesertim paulo infra se reverti ad res per tempora digestas palam dicat[137]. Quem fontem Taciti librum esse ducendum non modo ex miro quodam consensu sed etiam inde apparet, quod eodem modo scriptores de huiusce rogationis ludibrio sentiunt. Tacitum vero ex suo animo,

---

134. Nam de eadem re et antea 57, 8, 4 (non in lacuna inter 57, 17, 8 et 58, 7, 2 ut ait Boissevain) se tradidisse ipse dicit, et postea tertium exponit 60, 25, 1. 2.

135. cf. adn. 99.

136. cf. e. g. 57, 14, 4; 16, 3; 21, 5. 58, 12, 1; 17, 1; 26, 1.

137. c. 19, 1.

non auctorem secutum, rem in ridiculum deduxisse idcirco putandum est, quod studet ut Togonium hominem novum derideat, quia haud nobilissimo loco natus nomen suum Scipionum, Silanorum aliorumque claritati immiscere cupiebat. Et odio fuisse Tacito homines novos ex eis perspici potest, quae de Seiano scripsit[138]. Verum tamen non ita ridiculam Togonii sententiam fuisse Stahr[139] recte adnotat, quando iam in honorem divi Augusti custodiam senatorum equitumque decretam esse apud Dionem[140] legitur. Dio igitur „*ἕτερόν τι γελοιότερον*“ scribens neminem nisi Tacitum ante oculos habere potuit. Haud scio an Dio, quod illam alteram rem „*γελοιότατον πρᾶγμα*“ appellat, ex hoc Taciti „deridiculum“ detulerit illuc, ut simul aliquid opponeret saevitiae Tiberii paulo ante traditae. Certe non tam inepta erat haec res, ut Dio per se „*γελοιατάτην*“ eam appellaret[141]. Deinde ut magis illustraret, cur Tiberius senatui infestus esset, hostem imperatoris eum se professum esse per Togonii rogationem copiose disserit, quod leviter tangit Tacitus verbis supra allatis: „quam deinde speciem etc.“ Sequuntur de hac re cogitationes (18,2), quae prae se ferunt Dionis rationem; perhibet enim senatum in suspicionem Tiberio venisse ob hanc adulationem adiecto ex sua consuetudine contrario Tiberii favoris militum studio. Tum, ut reverteret ad senatum, Tiberium laudasse patres, quod ex aerario praetorianis stipendium persolvere constituissent, tradit. Ex alio fonte ac res antecedentes neque uberrimo hoc originem ducere verisimile est, quia illas copiose tractavit, breviter hoc perstrinxit. Forsitan ex fonte A Dio hoc sumpserit.

Sed Caesarem verbo tantummodo benevolentiam habu-

---

138. Tac. 4, 139.

139. Stahr Tac. Gesch. d. Tib. übers. Berlin 1871 ad Tac. 6, 2 adn. 17.

140. Dio 44, 6.

141. cf. Stahr Tiberius Berlin 1872 p. 345.

isse erga senatum Junii Gallionis fortuna a Dione probatur, quam a Tacito post ipsam Togonii rogationem allatam ex eo Dionem sumpsisse consentaneum videtur id quod magno praesertim consensu probatur. Sane Dio non minus accurate refert de Gallionis exilio quam Tacitus atque eisdem fere verbis. Epistulam autem Tiberii summatim modo relatam Dio ideo detorsit, ut apertius opponeret imperatoris imperium rei publicae *(τὸ κοινόν)*.

Ut vero plane demonstraret, quomodo Tiberius de senatu sentiret, petivisse eum a patribus addit, ut praefecto tribunisque comitantibus in curiam ingredi liceret, quod etiam Tacitus tradit sub anno insequente (p. C. 33.) et Dio proximi anni rebus se antecepisse ipse profitetur[142]. Dionem a Tacito commotum esse, ut se a temporis ratione discessisse tam accurate significaret propterea verisimile est, quod ille hoc ipso loco paucis versibus ante consulibus nominatis rerum anni 33. initium indicat. Praeterea reapse scriptores valde consentire ex locis supra collatis perspicitur; quin etiam Taciti de illius precis vanitate ludibrium, quod bene ostendit dissimulationem eius, a Dione receptum est.

At rirum est quod Dio adiectum esse huic senatus consulto tradit perscrutandos esse patres ad curiae portas, ne quis mucronem veste occultaret. Quod si re vera hoc constitutum esset, Tacitum, ut qui de illius temporis rebus tam diligenter exposuerit, silentio praeteriturum fuisse, quoniam praesertim aptum est, ex quo illius aetatis mali mores cognoscerentur, credibile non est. Verum etiam Tiberius hanc novam adulationem ita derisisset, ut antea Togonium. Proinde Dionem hic erravisse eo magis verisimile est, quod imperatorem Claudium omnes qui eam adirent inquiri iussisse eisdem ferme verbis memorat[143]. Quod hic in mentem eius venisse incredibile non est.

142. cf. adn. 137.

143. 60: 3, 3 „*ἀλλὰ τά τε ἄλλα ἀκριβῶς ἐφυλάττετο, καὶ πάντας τοὺς προσιόντας οἱ καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας ἐρευνᾶσθαι ἐποίει, μή τι ξιφίδιον ἔχωσιν κτλ.*“

Sed etiam in proximo capite Dio ad ordinem annalem reversus concinit cum Tacito 6, 8; 9. in M. Terentii discrimine tradendo, quod memorat coniunctum cum L. Caesiani, alterius Seiani amici, fortuna. Quas duas res, tametsi arte coniunctae videntur, haudquaquam ex eodem fonte originem ducere, sed a Dione, quoniam res per species cogere adsolet, idcirco connexas esse in aperto est, quod utrique pepercit Tiberius. Atque etiam verba: „*καὶ ἄλλων τινῶν*“ quibus res, quae ad singulos pertinet, defertur ad plures, Dionis ipsius consuetudinem ostendunt. Cum autem quae de Terentio traduntur primum a Tacito libris mandata esse supra demonstravi, Dionem illum adhibuisse facile creditur, praesertim cum alias quoque res ex eadem parte Taciti eum recepisse modo disputaverim.

Ex oratione praecipue, quam Terentium habentem apud senatum Tacitus facit et quae plane ficta esse ab eo putanda est[144], multa apud Dionem reperimus. Etsi Dio non ad verbum, quod fere nunquam fecit, eam recepit sed summatim mutatis dumtaxat verbis sententiisque, tamen ex eo Tacitus plane elucet.

In prima orationis parte, quam Dio in obliquam orationem vertit, multa ex illo excerpta videntur:

Dio c. 19, 3.	Tac. 6, 8.
τοῦ δὲ δὴ Τερεντίου, ὅτι ἐπὶ τῇ τοῦ Σηιανοῦ φιλίᾳ κρινόμενος ὀὐχ ὅσον οὐκ ἠρνήσατο, ἀλλὰ καὶ ἔφη καὶ σπουδάσαι μάλιστα αὐτὸν καὶ θεραπεῦσαι,	Fortunae quidem meae fortasse minus expediet a d g n o s c e r e crimen quam a b n u e r e; set utcumque casura res est, f a t e b o r et fuisse me Seiano amicum, et u t e s s e m, ex-

144. Fictam esse hanc orationem inde patet, quod Terrentius absentem imperatorem adloquitur: „idem finis et te, Caesar, et nos absolverit“, quod licuit Tacito ad gravitatem orationis augendam, non Terentio, quem, cum apud senatum oraret et patrum animos movere cuperet, Caesarem acclamasse credibile non est. Eodem modo Sorani filiam absentem Caesarem adloquentem Tacitus induxit 16, 31.

	petisse, et, postquam adeptus eram, laetatum.
ἐπειδὴ καὶ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Τιβερίου οὕτως ἐτιμᾶτο.	Videram collegam patris. — — — Illius propinqui et adfines honoribus augebantur; ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus.

Deinde, inducta oratione recta, parum eleganter Dio sententiam verbis exprimit[145], quam, tametsi totius fere orationis tamquam argumentum est et caput, Tacitus non nisi per ambages profert. Proxima quoque sententia, in qua negando ea repetitur, quae praecedit, hoc quidem Taciti loco non extat, sed reperitur in epistula, quam scriptam ad Tiberium a Lepido familiari eius item maiestatis insimulato, Tacitus composuit:

Dio c. 19, 4.	Tac. 6, 30.
εἰ δ' ὁ αὐτοκράτωρ ὁ πάντα ἀκριβῶς εἰδὼς ἐπλανήθη, τί θαυμαστὸν εἰ καὶ ἐγώ οἱ συνεξηπατήθην;	perinde se quam Tiberium falli potuisse, neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum.

Nihil sane obstat, quin Dio Tacitum ante oculos habuerit.

Rursus occurrit nobis priore loco Dionis c. 14,3. sententia, quam inter Terentii verba videmus apud Tacitum. Dio postquam scripsit: suppetisse ad damnationem, si quis Seiani amicus duceretur, de hac saevitia paucis disputat, quorum argumentum Terentius profert apud Tacitum:

Dio c. 14, 3.	Tac. 6, 8.
καθάπερ οὐ καὶ αὐτοῦ τοῦ Τιβερίου φιλήσαντος αὐτὸν καὶ	ut quisque Seiano intimus ita ad Caesaris amicitiam vali-

145. *„ὥστε εἰ μὲν ἐκεῖνος ὀρθῶς", εἶπεν, „ἐποίει τοιούτῳ φίλῳ χρώμενος, οὔτ' ἐγώ τι ἠδίκασα.*

δι' ἐκεῖνον καὶ τῶν ἄλλων οὕτω σπουδασάντων.	dus — — —. Non enim Seianum Vulsiniensem, set Claudiae et Juliae domus partem — — — colebamus.

Neque Dionem, cum eodem loco paulo infra c. 15,1 Terentium ipsum significaret (cf. p. 55), Taciti sententiam illuc interposuisse mirum est.

Sed ad Terentii orationem redeamus: iam proximae sententiae maxime ad verbum paene consentiunt cum Tacito[146]:

Dio c. 19, 4.	Tac. 6, 8.
καὶ γάρ τοι προσήκει ἡμῖν πάντας τοὺς ὑπ' αὐτοῦ τιμωμένους ἀγαπᾶν, μὴ πολυπραγμονοῦσιν ὁποῖοί τινές εἰσίν, ἀλλ' ἕνα ὅρον τῆς φιλίας σφῶν ποιουμένοις τὸ τῷ αὐτοκράτορι ἀρέσκειν.	Non est nostrum aestimare, quem supra ceteros et quibus de causis extollas. Tibi summum iudicium di dedere: nobis obsequii gloria relicta est.

Verum quod ad contentionem quandam Tacitus extollit, a Dione siccis verbis redditur[147]. Extremam vero orationem Taciti Dio omnino non recepit: nimis fortasse Taciti ingenium prae se ferre ei visa est. Concinunt tamen in bono

146. Magnum hunc consensum iam adnotavit Thamm l. c. p. 24.

147. Wiedemann, Das Zeitalter d. Curtius Rufus Phil. 30 1870 p. 442 orationes Terentii et a Tacito et a Dione traditas consentire perhibet cum oratione Philotae a Curtio 7, 4 memorata. Proinde tres auctores rerum causa Tacitus et Dio, Curtius ad orationis lumina recipienda ex uno auctore hausisse disputat, qui quidem res Tiberii enarraverit. Sententiam eius Thamm l. c. secutus est. Atqui consensus a W. laudatus ad paucorum modo vocabulorum similitudinem in simili rerum condicione positam pertinet, neque Curtium longe diversas res tractantem ac ceteros duos Tiberii rerum scriptorem orationis causa adhibuisse credibile est.

defensionis eventu, praeterquam quod Dio addit: „καὶ ὁ Τιβέριος συγκατέθετο σφίσιν“, quod, quamquam consentaneum erat[148] idcirco scripsisse videtur ut vel reverteret ad Tiberium vel apte adiuncto Pisone funere publico honorato, aequitatem illius altero exemplo approbaret: ut Terentius absolutus Caesari fuit honori ita laudem adeptus est funere Pisonis.

Neque vero Dio a Tacito discessisse videtur, quocum de fine quoque Pisonis consentit[149], quamquam hic consensus per se non ita gravis videtur. Attamen adsunt argumenta, quibus Dionem hoc ex Tacito hausisse prorsus probatur. Tacitus quidem Pisonis exitum tradit non multo post Terentii orationem (c. 10), sed Dio, siquidem Tacitum secutus est, iudicia et damnationes quae interim memorantur, ne longus esset, omittere potuit, quoniam praesertim antea (c. 14; 15) de multitudine damnatorum summatim rettulerat.

Est autem Taciti proprium sub plerisque annis post ceteras res enumerare clarorum virorum vel feminarum exitus, quod non in hoc uno libro sed etiam in ceteris cernitur[150]. Atqui apud Dionem in tota imperatorum Juliorum Claudiorumque historia duo loci extant in extremo libro 58. et hic et c. 25,4, quibus homines antea nondum commemoratos, dummodo ne perierint nece, fato obiisse tradit. Duobus autem his locis Dio valde consentit cum Tacito. Accedit, quod neque Tacitus non servato forte ordine assueto Pisonis mortem in extremis anni p. C. 32. rebus posuit neque Dio, rursus Dio c. 25,4 Poppaei Sabini discessum perinde ac Tacitus omnibus anni p. C. 35. rebus postposuit, nam res Parthicas inter duos annos, quibus gestae erant, interposuit.

---

148. Nescio an Dio ad Tiberii assensionem memorandam ideo commotus sit, quod Tacitus statim (6, 9) scripsit: „Secutae dehinc Tiberii litterae“, quas Dio rettulit ad rem Terentii.

149. Tac. 6, 10.

150. cf. Tac. 1, 53; 2, 88; 3, 30; 48; 75; 4, 15; 16; 44; 61; 6, 10; 27; 39; 13, 30; 14, 19; 47; 15, 22.

Atque etiam in rebus insequentibus Dio consentit cum Tacito (6,27) mirabili quadam ratione et ad Dionis fontibus utendi componendique modum cognoscendum aptissima: Haud pigebit locos afferre:

Dio c. 19, 5.	Tac. 6, 27.
ὅπερ που καὶ ἄλλοις ἐχαρίζετο.	Extremo anno mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Suriae imagine tandem exsolutus urbi praefuerat. — —
καὶ Λούκιον ἀντ᾽ αὐτοῦ Λαμίαν ἀνθείλετο, ὃν πρόπαλαι τῇ Συρίᾳ προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ· τοῦτο δὲ καὶ ἐφ᾽ ἑτέρων πολλῶν ἐποίει,	oblitus Arruntium ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri.

Certe Dio, quae generatim profert, ex Tacito certis exemplis comprobare potuit, ubi non solum alterum funeris publici exemplar inveniebat, quod in plura eum auxisse nihil mirum habet Dionis usum respicienti, sed etiam Lamiam Pisoni successisse multosque per annos Syriae legatum a Caesare Roma proficisci prohibitum esse. Eo magis vero hic consensus amimadvertendus est, quod propria Taciti consuetudo est, cum refert de morte hominum nobilium et dignorum memoria, adicere pauca de vita eorum et moribus[151], quam ob rem in fonte communi eadem omnia eodem ordine extitisse verisimile non est. Neque quidem Dio temperare sibi poterat, quin multos alios provinciarum legatos a Tiberio Romae retentos esse enuntiaret, quod qua re commotus scripserit, facile cognosces si Tacitum inspexeris, qui tradat eodem loco Arruntium quoque Hispaniae praepositum, ne in provinciam abiret per decem annos a Tiberio esse impeditum. Dioni autem, cum neminem praeter Lamiam Arruntiumque esse retentum a Suetonio, qui duos retentos

---

151. cf. p. 69 adn. 153.

memorare videtur[152], affirmatum sit, Arruntium ante oculos versatum esse in promptu est.

Porro in cap. 22,5 Dionem in Plancinae, uxoris Pisonis, morte tradenda Tacito usum esse verisimile est:

Dio c. 22, 5.	Tac. 6, 26.
τῇ δ' οὖν Ἀγριππίνῃ καὶ ἡ Πλαγκῖνα ἡ Μουνατία ἐπεσφάγη·	Ceterum Agrippinae pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit.
πρότερον γὰρ καίπερ μισῶν αὐτήν,	Ut odium et gratia desiere ius valuit. — — —
οὐ διὰ τὸν Γερμανικὸν ἀλλὰ δι' ἄλλο τι, ὅμως ἵνα μὴ καὶ ἐκείνη τῷ θανάτῳ αὐτῆς ἐφήσθῃ, ζῆν εἴα.	cum Piso caderet, precibus Augustae nec minus inimicitiis Agrippinae defensa erat.

Id maxime spectandum mihi videtur, quod uterque scriptor Plancinae mortem aliqua ratione revocat ad Agrippinae finem paulo ante ab utroque memoratum, cum eluceret e Taciti verbis, ipsum se exogitasse, quae scripserat de Plancina, non fonti debere. Etenim Tacitum vehementissimum domus Germanici fautorem facere non potuisse, quin Plancinam feminam Agrippinae infestissimam haud diu superstitem eius fuisse praedicaret, consentaneum est, cum re vera Agrippinae morte Plancinam tractam esse in perniciem credibile non sit. Non minus istae sententiae, quibus, unde illa femina adepta esset exitium, demonstratur, Tacito sunt tribuendae, quoniam eum eius modi res adicere solitum esse, cum notabiles mortes memorabat, supra demonstravi[153], id quod

---

152. „Unum et alterum consulares oblatis provinciis non ausus a se dimittere usque eo detinuit etc." Tib. 63. cf. Nipperdey-Andresen ad Tac. 6, 27.

153. Velut 2, 88 (Arminius). 3, 30; 75; 76. 4, 15; 44; 61. 6, 10; 27; 39; 51 (Tiberius). hist. 2, 50 (Otho). 3, 62 (Fabius Valens); 75 (Flavius Sabinus) cf. Heraeus ad Tac. hist. 1, 48.

maxime apparet ex 6,51. Nam Tacitus, cum sex libris egisset de Tiberio extremo capite fine eius memorato originem vitae eius repetivit.

Sub anno p. C. 35. Dio (c. 25,2) nuptiis C. Caesaris memoratis in tempore erravisse videtur, quia et Tacitus eandem rem affert sub a. 33. et Suetonius[154] pugnat cum Dione. Cum autem nihil sit, cur Dioni ipsi hic error tribuatur, scriptorem quem est secutus erravisse verisimile est.

At ex eo quod Dio Tiberium propter Fulcinii Trionis necem Romam non venisse prodit plane apparet studium eius implicandi quaqua ratione sententias haudquaquam inter se cohaerentes. Quae ratio qualis fuerit, facile intellegitur, si Tacitum, quocum etiam hoc loco ille consentit, pro fonte eius habemus. Qui quidem nece Trionis Marcianique, supplicio Gratiani (6,38), fine Trebelleni ipsius manu parato, caede Paconiani (6,39) enumeratis Tiberium prope ad urbem versantem accepisse illos nuntios tradit[155], adiecta sententia tragoediam redolente: „quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum", apta quidem, qua Dio ita commoveretur, ut Tiberium pudore deprehensum ac taedio saevitiae vitavisse urbem sibi persuaderet. Cum autem Dio illorum omnium caedem explicare longum existimasse videatur, nihil nisi Trionis exitium supererat, quod causae esset, cur Tiberius urbem intrare vereretur, quomodo Taciti oratio alioquin elata in maius a Dione insuper augetur.

Maxime vero consentiunt scriptores de ipsa Trionis morte. Sane Dio, cum nondum antea Trionem comme-

---

154. Cal. 12. „Non ita multo post (scil. post annum 31. quo Caligula Capreas accitus est a Tiberio) Iuniam Claudillam . . . duxit uxorem (cf. PJR. 2 p. 176).

155. 6, 36 „Haec Tiberius non mari ut olim divisus . . . adspiciebat, sed urbem iuxta".

moravisset, ad legentes docendos apposuit amicissimum Seiani eum fuisse propter delationes, ut simul accusationis causam pronuntiaret notam iam dudum Tacitum legentibus[156]. Sed adnotandum mihi videtur, quod Dio veram Trionis culpam, seditiose facta cum Seiano in incerto reliquit, quam Tacitus quidem supra memoratam praeterire potuit.

Quin etiam Taciti cogitationes de Tiberii patientia erga convicia Dio recepit neque se repetere ea, quae iam 57, 23,2 eodem fere modo disputavisset, respexit, sed potius confirmandi causa apposuit recitata esse in senatu etiam Drusi in Tiberium convicia, et hoc quoque ex Tacito eum sumpsisse eo magis credibile est, quod illa, quae Tacitus summo colore et cum elatione quadam atque altitudine orationis depinxit, maxime ostendunt eius ipsius cogitationes et maxime sunt idonea, quae in animis legentium haereant. Sane quidem elucere videtur illa Taciti oratio ex Dionis verbis: „*ἔν τε ταλαιπωρίᾳ ὢν καὶ κακοπαθῶν*“. Praeterea Dionem c. 22 ubi eum de fine Drusi memorantem Tacitum non adhibuisse apertum est, silentio praeteriisse cruciatus eius ac vecordiam animadvertendum est.

Denique Tacitus Dioni eo dedit facultatem res aliquo in genere contrarias coniungendi quod post tot caedes fine anni affert c. 39 Poppaeum Sabinum necessaria morte absumptum; quam minime Dio praetermisit statim adiecta morte Poppaei verbis quibus opposita connectere solet: „*Τρίων μὲν οὖν οὕτως ἀπέθανεν Ποππαῖος δὲ Σαβῖνος ἥδιστα προαπηλλάγη*“ (animadvertas praepositionem *πρό*). Ut vero plane praedicaret contrarium interposuit sententiam: „*πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν.*“ Hoc uno loco et altero (c. 19,5) Dionem tradidisse mortem hominis illustris iam supra disserui[157].

Dionem ea quae a Tacito non memorata de Poppaeo adiecit ex memoria iam non integra scripsisse apparet, cum

---

156. cf. Tac. 5, 11. 6, 4. Praeterea commemoratur Trio delator 2, 28. 3, 10; 19. 5, 1.

„*τῆς τε Μυσίας ἑκατέρας*“ apud illius aetatis scriptores reperire vix potuerit, quoniam divisa est Moesia Domitiano principe[158]. Regulum successisse Sabino ex alio fonte se scripsisse indicat verbis: „*ὥς δέ τινές φασι.*“

Atque etiam in rebus in Armenia gestis consensus manet inter Tacitum Dionemque:

Dio c. 26, 1.	Tac. 6, 31
ὑπὸ δὲ δὴ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ὁ Ἀρτάβανος ὁ Πάρθος τελευτήσαντος τοῦ Ἀρτάξου τὴν Ἀρμενίαν Ἀρσάκῃ τῷ ἑαυτοῦ υἱεῖ ἔδωκεν, καὶ ἐπεὶ μηδεμία ἐπὶ τούτῳ τιμωρία παρὰ τοῦ Τιβερίου ἐγένετο, τῆς τε Καππαδοκίας ἐπείρα.	avidusque Armeniae (Artabanus) cui defuncto rege Artaxia Arsacen, liberorum suorum veterrimum, imposuit, . . et senectutem Tiberii ut inermem despiciens simul veteres Persarum ac Macedonum terminos seque invasurum — — — iaciebat.
καὶ ὑπερηφανώτερον καὶ τοῖς Πάρθοις ἐχρῆτο.	mox superbiam in nos saevitiam in populares sumpsit
2. *ἀποστάντες οὖν τινὲς αὐτοῦ ἐπρεσβεύσαντος πρὸς τὸν Τιβέριον, βασιλέα σφίσιν ἐκ τῶν ὁμηρευόντων αἰτοῦντες. καὶ αὐτοῖς τότε μὲν Φραάτην τὸν τοῦ Φραάτου,*	— — — Ji adscitis et aliis primoribus, — — — Phraatem, regis Phraatis filium, Roma poscebant. — — — 32. Cupitum id Tiberio. Ornat Phraatem accingitque paternum ad fastigium, — —
τελευτήσαντος δὲ ἐκείνου κατὰ τὴν ὁδὸν Τηριδάτην, ἐκ τοῦ βασιλικοῦ καὶ αὐτὸν γένους ὄντα, ἔπεμψεν.	Et Phraates apud Syriam morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridatem sanguinis eiusdem — — — deligit.

---

157. cf. p. 67.
158. cf. Marquardt, Röm. Staatsverw. 1 p. 148.

3. καὶ ὅπως γε ὡς ῥᾷστα τὴν βασιλείαν παραλάβῃ, ἔγραψε Μιθριδάτῃ τῷ Ἴβηρι ἐς τὴν Ἀρμενίαν ἐσβαλεῖν,	reciperandaeque Armeniae Hiberum Mithridatem deligit. 33. — — — simul Hiberi magnis copiis Armeniam inrumpunt.
ἵν' ὁ Ἀτάβανος τῷ υἱεῖ βοηθῶν ἀπὸ τῆς οἰκείας ἀπάρῃ.	36. Mox Artabanus tota mole regni ultum iit.
οὐ μέντοι καὶ ἐπὶ πολὺ ὁ Τηριδάτης ἐβασίλευσεν.	44. donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit.
ὁ γὰρ Ἀρτάβανος Σκύθας προςλαβὼν οὐ χαλεπῶς αὐτὸν ἐξήλασεν.	36. His adsumptis in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem innexus erat.

Si quis utriusque verba contulerit, Dionis narrationem ex Tacito excerptam esse censebit, praesertim cum locis antecedentibus Dionem aliquantum hausisse ex illo nuper demonstratum sit. Nempe in omnibus fere rebus consentiunt scriptores, si discesseris a paucis et exiguis quas contrahendo commutatas esse mirum non est[159].

---

159. In diversam sententiam disseruit Täubler, Die Parthernachrichten bei Josephus. Diss. Berlin 1904 p. 51 et 57, cum adeo pugnare Dionem cum Tacito censeat ut aliam famam Tiberio infestam illum recepisse contendat: Ita tradidisse Dionem, quasi dynastarum commoda maxima ei visa essent, non imperii Romani auctoritas. Nihil enim Tiberium apud eum egisse nisi pro dynastis. Verum quae T. crimini dat Dioni ea magis cadunt in Josephum (cf. adn. 162), apud quem Tiberius multo inferiorem se praebebat. Cur vero Dio multum tribuerit dynastis facillime intellegitur, si ex uberiore fonte eum excerpsisse historiam suam existimamus. Etenim cum illorum dynastarum facta regerentur et administrarentur per Romanorum rationes, quarum eventus nisi ex illorum victoriis cladibusve cognosci non possunt, periculum erat, ne quis, dum hasce res contrahere vellet, copiosius tractaret quamvis

Accedit quod Tacitus, cum tamquam veniam petat a legentibus[160], quod, ne taedeat tot maiestatis accusationum, res duobus annis gestas coegerit in unius anni historiam, ipse profitetur se hasce res sua ratione tractavisse, quas nisi in fontibus seorsum traditas invenisset, se non excusavisset[161]. Sane Dio eodem modo haec omnia in unum locum contraxit.

Neque vero neglegendum mihi videtur, quod Josephus qui de eisdem seditionibus Parthicis exposuit in rebus haud levibus, et a Tacito et a Dione descrepat[162], in quibus isti plane concinunt, unde satis apparet etiam eorundem temporum scriptores, ex quibus Josephum hausisse constat, magnis in rebus inter se pugnavisse, quod si respicis, consensio duorum scriptorum posterioris aetatis eo magis perspicua est.

Sed Tacitum, cum Tiridate ab Artabano pulso repente incideret orationem, cum reliquas res tum maxime congressum illum Vitellii Artabanique[163], qui ad restituendam pacem magni momenti erat, in libro septimo tradidisse pro certo habendum est[164]. Atque Dio eodem loco tradendi

---

invitus dynastarum controversias nimis breviter perstrictis Tiberii rationibus. Dionem nimirum nonnumquam falli in contrahendo supra vidimus.

160. Tac. 6, 38. „Quae duabus aestatibus gesta coniunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis.“

161. Cum Tacitus tam fuse et accurate de hisce rebus exposuerit recte Täubler l. c. p. 50 disseruisse mihi videtur, illum Vitellii ipsius relationem vel alicuius alterius ex cohorte eius adhibuisse. Sed alium insuper fontem eum accersisse oportet, in quo pensa erant Vitellii facta.

162. Jos. ant. iud. 18, 4, 4. De rebus discrepantibus copiose egit Täubler l. c. p. 30 sq. Affero Tiberii ad Vitellium epistulam, pecuniam a Tiberio Albanis Iberisque donatam, quae res non extant aut apud Tacitum aut apud Dionem. Rursus dynastarum seditiones, quod animadvertendum est, apud Josephum desiderantur.

163. Jos. l. c. 4, 5.

164. Tacitum haec alibi executum esse apparet ex 11, 8: „sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis . . . C. Caesaris vinctum memoravi. Cf. Täubler p. 39. Eodem fere modo Tacitus

finem fecit adiecta clausula: „τὰ μὲν οὖν Πάρθων οὕτως ἔσχε“, quamquam ne postea quidem res hic omissas affert, cum, si praeter Tacitum alios fontes, in quibus res paulo aliter digestae erant, adhibuisset, cognoscere debuisset, tum nondum compositas esse illas controversias. Postea demum 59,27 cum de Vitellii discrimine exponeret, strictim attingit eum esse congressum illis temporibus cum Artabano Partho, quod in fontibus, quos eo loco secutus est, extitisse verisimile est.

Postremo cap. 27 tractandum est, ex quo, qua ratione Dio res ab auctoribus sibi oblatas tractare et componere solitus sit, ideo plane perspici potest, quod aliquas res, quas Dio suo arbitratu coniungebat, invenimus apud Tacitum in consequenti progressione et luculenta expositas. Cum autem in singulis rebus scriptores valde consentiant, quo referendum hoc sit diligentius inquirendum est, quoniam brevi ante Dio res e Tacito sumptas attulit.

Nam Tacitus tradit 6, 47. 48 accusatam esse impietatis in principem Albucillam illustrem feminam non optimae famae cuius discrimine conscios tractos esse in iudicium Cn. Domitium, Vibium Marsum, L. Arruntium non sine suspicione a Macrone paratas esse has insidias. Et Domitium quidem et Marsum non properata defensione produxisse vitam, Arruntium oratione apud amicos habita vitae finem fecisse. Albucillam autem, quamquam sua manu vulneratam in vincula coniectam, adulteros poena affectos esse.

At Dio, a quo, illo ordine rescisso, aliter omnia digeruntur, in hunc modum exposuit: Quamquam cum in alios tum in Domitium habitae essent quaestiones, plerosque reos supplicio iam non esse affectos, quod Thrasyllus multos vitae annos Tiberio portenderit ea mente, ne properaret supplicia,

h. 4, 79 repente interruptam Batavorum seditionis narrationem 5, 14 recepit.

sicut factum esset. Nam ille tempus omnia exequendi suppetiturum esse ratus, differri a senatu supplicia eorum, qui intercesserint, passus est. Nam feminam *(γυνὴ μὲν γάρ)*, quae ipsa se vulneravisset, tractam esse in carcerem et Arruntium ipsum manus sibi intulisse. At ceteros damnatos, quoniam ante diem decimum eos necari non liceret, per dilationem esse conservatos.

Dionem totam hanc narrationem ita compositam in fonte quodam repperisse, ei, qui expertus est consuetudinem eius, probari non potest[165]. Etenim non ea ratione singulas res coniunxit, ut, quomodo alia ex aliis nexa sit, exponeret, sed ut sortes eorum, qui supremis Tiberii diebus damnati erant, sub unum aspectum subiceret.

Duae rerum species in Dionis oratione facile discernuntur et eae, quae cohaerent cum Albucillae discrimine et eae, quae ex illo Thrasylli vaticinio[166] pendent, quarum illae prorsus colligi possunt ex Tacito.

Profectus est Dio a causa Domitii, quam cum Tacito conferam:

Dio c. 27, 2.	Tac. 6, 47.
ἐτύγχανε δέ ὁ Μάκρων ἄλλοις τε συχνοῖς καὶ τῷ Δομιτίῳ ἐπιβεβουλευκώς, καὶ ἐγκλήματα καί βασάνους κατ᾽ αὐτῶν ἐσκευωρημένος.	conectebantur ut conscii et adulteri eius (Albucillae) Cn Domitius, Vibius Marsus L. Arruntius. — — — Sed testium interrogationi, tormentis servorum Macronem praesedisse commentarii ad senatum missi ferebant, nullaeque in eos imperatoris litterae suspicionem dabant — ficta pleraque ob inimicitias Macronis notas in Arruntium.
οὐ μὴν κα πάντες οἱ αἰτιαθέντες ἀπέθανον.	48. Igitur Domitius — — — Marsus produxere vitam.

Tacitum ipsum a Dione esse adhibitum a vero non abhorret, sed nihil nisi quod ullo modo insigne ducebat hic elegisse videtur. Certe hoc mirum habuit quod etiam Domitius progener Caesaris cuius de honoribus paulo ante disserui[167], in ius vocatus sit. Rursus Albucillae et Arruntii non tam accusationes quam mortes adnotandas esse existimavit, neque iam attulit illas mortes, ne statim confutaret quod sequitur: effugisse ceteros reos per Thrasylli calliditatem; tum demum finem Arruntii et Albucillae, quae non nominata haud dubie intellegenda est, tradit. Verum haud apte Dio utitur coniunctione „γάρ" neque haec sententia intellegitur, nisi proxima adspexisti. Legimus nimirum Arruntii morte tradita: „οἱ δὲ ἄλλοι ἐσώθησαν", quo referendum est illud „γάρ"; id sane Dionem sensisse verisimile est: servatos esse omnes praeter illam feminam et Arruntium, atque id spectavisse, ut servatis opponeret, sicut facere solet, ultimas Tiberii victimas.

Atque etiam Albucillae Arruntiique mortes Dionem e Tacito interposuisse magno consensu eorum probatur (Dio c. 27,4. Tac. 6,48).

Accedit quod Dio ne verbo quidem memorat, cuius sceleris aut Albucilla aut Arruntius accusati mortem sibi consciverint, quamquam plerumque accusationes adnotare solet[168]. Etenim apud Tacitum accusatio dirimitur a fine per quaestionis et sortis ceterorum reorum narrationem, quomodo facile fieri potuit ut Dio, siquidem Tacitum secutus est, nihil nisi finem spectans, accusationis causam commemorare oblivisceretur. Praecipue autem est animadvertendum etiam sententias orationis, quam Tacitum ipsum composuisse manifestum est, inveniri apud Dionem, qui eodem

---

165. cf. p. 75 sq.
166. cf. Suet. Tib. 62.
167. cap. 20, 1.
168. cf. e. g. 58, 4, 5; 24, 3—4; 25, 2—3.

modo, quo antea Terentii, orationis Arruntii sententiam gravissimam oratione recta, ceteras ut suas cogitationes affert. Dionem Albucillae nomen, quamquam Arruntium nominat, silentio praeteriisse ex eo intellegitur, quod nihil nisi mortis eius atrocitas, sed Arruntii virilis constantia, quae cernitur in oratione eius, notabilis illi visa est[169].

II.

1.

Sequitur ut disseram, quae ratio intercedat inter Dionem et Suetonium, qua de quaestione homines docti non minus dissentiunt, cum alteri velut Knabe, Ranke, Roth[170] Dionem ipsius Suetonii libros usum esse, alteri velut Bergmans, Christensen, Clason, Schwartz ex fontibus communibus scriptores hausisse censeant.

Sane Suetonius[171], quamquam permultos fontes ab eo adhibitos esse in aperto est, tamen non ita funditus eos exhausit, ut omnia ex eis in suos libros reciperet vel ordinem, quo res ibi traditae erant, servaret, immo vero temporibus plerumque neglectis, nihil nisi singulas res, narratiunculas imprimis fabulasque, raro maiores partes[172] selegit, quas sub certas species redactas suo arbitratu digerebat et componebat. Quam ob rem, tametsi fontes eius ita conflatos investigare difficillimum est, neque ipse omnia, sicut Tacitus, suo ingenio penetravit et complexus est, certe eius vestigia facile recognoscuntur, cum res complures eadem ratione atque apud illum compositas apud scriptores videmus.

---

169. cf. 58, 18 Togonii Galli nomen a Dione omissum.

170. Praef. ad Suet. p. XVII.

171. De Suetonii ratione scribendi et auctoritate cf. Roth praef. p. XIII—XVII, Christensen l. c. p. 36, Clason l. c. p. 20.

172. cf. e. g. Tib. 57; 58. Cal. 10—12, quos locos ex annalium scriptore sumpsisse videtur, quoniam per tempora tradit.

Acecdit quod Suetonius ad vitas Caesarum scribendas saepenumero adhibebat tabulas publicas, imperatorum epistulas aliave eiusmodi monumenta ab aliis scriptoribus incelebrata, quae ei, ut qui esset ab epistulis Caesaris Hadriani, inspicere licebat, et quae, si deprehendimus apud alium scriptorem, ex illo hausta esse veri est simillimum. Rursus neglegendum non est, quod fieri vix potuit, quin Dio, quoniam utrumque multos fontes adhibuisse constat, ab ullo fonte, quo etiam Suetonius usus est, nonnullas res mutuatus esset, in quibus cum eo consentit.

Dionem in capitibus 57, 1—6, quibus quomodo Tiberius et imperium susceperit et militum seditiones represserit, traditur, nonnullis de rebus consentire cum Suetonio, discrepare a Tacito vidimus (cf. p. 11 sq.), quas e fonte A haustas esse a Dione demonstravi. Neque enim tantus est consensus ut Suetonium ipsum a Dione esse adhibitum putaveris, cum scriptores non modo toto rerum ordine et sententiarum plane discedant, sed etiam nonnullae res apud Dionem desiderentur, quas eum, si Suetonium ante oculos habuisset, silentio praeteriturum fuisse credibile non est. Praeterea Dionem scriptorem vitarum[173], a quo tempora omnino fere negleguntur, adhibuisse ad res maximi momenti tradendas, quis est qui credat!

Quare Dionem vel potius illum fontem A (cf. infra III, 2.), quo illis locis potissimum usus est, famam Tiberio infestam secutum esse faventem Germanico, quam etiam receptam invenimus apud Suetonium illis Tiberii Caligulaeque vitarum locis, qui supra tractati sunt, existimandum est.

Sed haud raro Dio vel neglecta paulum temporum ratione alicuius anni res sub unum conspectum subiciebat interpositis rebus, quas certo anno tribuere non licet[174], vel singulorum annorum singulis rebus alias adiciebat, quae

---

173. cf. Roth praef. p. XIII.

174. cf. p. 58 sq. p. 75 sq.

aliqua ratione cohaerent cum illis. Cum autem in eiusmodi rebus consentit cum Suetonio, ex eo illas originem ducere incredibile non est, quoniam praesertim et Dio haud spernit fabulas, quibus abundant Suetonii libri, et Dionis temporibus illius libros in manibus fuisse eo satis comprobatur, quod illius aetatis scriptores exemplo eius usi sunt[175].

Et maxime quidem Dio in ea parte libri 57, in qua interposita rebus secundum annorum ordinem traditis de Tiberii virtutibus exponebat (c. 7—13) et singulis rebus et ordine consentit cum Suetonio, cum non per tempora sed, sicut ille, per species res composuerit. Attamen scriptores, ubi in tota re consentire videntur, in rebus quamvis exiguis plerumque discrepant, ut, si diligentius eos locos comparaveris Suetonium a Dione adhibitum non esse haud dubie censebis.

De Tiberii nominibus uterque eadem prope ratione disseruit (Dio 57, 8, 1. Suet. Tib. 27).

Sed de singulis nominibus scriptores discrepare et omnino Dionem uberius tradere in promptu est.

Atque etiam de strenis Caesari oblatis scriptores modo concinunt modo discrepant (Dio 57, 8, 6. Suet. Tib. 34). Quamquam Tiberium prohibuisse strenas ab utroque memoratur, tamen in singulis sententiis ita dissentiunt, ut propemodum ex diversis fontibus eos hoc loco hausisse putes.

Iam de templis statuisque a Tiberio vetitis non prorsus scriptores consentiunt. Etenim plane statuas vetuisse Tiberium Dio (57, 9, 1), ea condicione ne inter simulacra deorum ponerentur concessisse Suetonius (Tib. 26) prodit[176]. Animadvertendum est, quod Dio et hic et loco antea tractato Tiberium vel strenis vel templis statuisve honorari

175. Vop. Prob. 2. Lampr. Comm. 10.

176. Bergmans p. 43 sq. Dionem hoc loco ex Tacito pendere demonstrat quod probandum non est. Sane Dio magis consentit cum Suetonio, quam cum Tacito.

prorsus prohibuisse tradit, cum Suetonius certis condicionibus eum concessisse eiusmodi honores memoret, quae discrepantia facile intellegitur, si Tiberium initio, quod cum natura eius bene convenit, omnes honores repudiasse, deinde patrum precibus commotum et strenas, dum Kal. Jan. offerrentur, et effigies, modo ne inter deos ponerentur, concessisse putamus. Quod si ita se habet, Dionem priorem famam secutum esse apparet.

Deinde Dio in cap. 10, 5—11, 3 consentit cum Suetonio compluribus rebus, ab eo quoque deinceps sed alio ordine traditis. Memorat enim Dio Tiberium respondisse Aemilio Recto Aegypti praefecto nimiam pecuniam sibi mittenti: „*ὅτι κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα ἀλλ᾽ οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι.*“ Idem certe legimus in Suetonio Tib. 32, sed ita ut nomine Recti omisso ad plures rem referat: „praesidibus . . . rescripsit boni pastoris esse etc.“

Tum clementia Tiberii erga Rhodiorum magistratus ab utroque laudatur, qui in epistula quadam ad Caesarem missa aliquid omiserant, quod quale fuerit diligentius exponitur a Dione:

Dio 57, 10, 5.	Suet. Tib. 32.
οὐχ ὑπέγραψαν τῇ ἐπιστολῇ τοῦτο δὴ τό νομιζόμενον εὐχὰς αὐτῷ ποιούμενοι.	quod litteras publicas sine subscriptione ad se dederant.

Quoniam igitur omnibus his locis scriptores aliquo in genere consentire in alio discrepare ac plerumque Dionem paulo copiosius et diligentius tradere vidimus, neque hunc ex illo pendere neque ex eodem libro eos hausisse credibile est. Cum autem tantum consentiant, ut ex eadem fama pleraque eorum, quae comparavimus, originem ducere manifestum sit, Dionem, quippe qui diligentius tradiderit, hanc famam melius conservasse antiquissimam sane et optimam, Suetonium vero nisi iam auctorem eius rebus ex eadem fama sumptis immiscuisse alias ex aliis fontibus haustas verisimile est.

Sed etiam aliis locis singulae res inveniuntur, quae, quia consentiunt cum Suetonio, tractandae sunt. Sub anno p. C. 15. Dio 57, 14, 1 Tiberium solvisse populo Augusti legata memorat adiecta narratiuncula de scurrae cuiusvis facete dicto, quae apud Suetonium quoque scripta extat (Tib. 57). Verum Dio diligentius rem enarrare videtur, cum in aures mortui scurram insusurrasse quid, deinde rogatum palam enuntiasse, Suetonius simplicius clara voce clamasse tradat. Ex eodem fonte utriusque narrationem originem ducere credibile est.

Dein verbum „ἔμβλημα“ vetitum esse a Tiberio uterque perhibet:

Dio 57, 15, 2.

ἐπεί τε διηπόρησάν τινες εἰ καὶ τὰ ἀργυρᾶ τὰ χρυσοῦν τι ἔμβλημα ἔχοντα ἀπηγορευμένον σφίσιν εἴη κεκτῆσθαι, βουληθεὶς καὶ περὶ τούτου τι δόγμα ποιῆσαι ἐκώλυσεν ἐς αὐτὸ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ ἐμβλήματος ὡς καὶ Ἑλληνικὸν ἐμβληθῆναι, καίτοι μὴ ἔχων ὅπως ἐπιχωρίως αὐτὸ ὀνομάσῃ.

Suet Tib. 71.

atque etiam cum in quodam decreto patrum „ἔμβλημα“ recitaretur, commutandam censuit vocem et pro peregrina nostratem requirendam aut si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam.

Qua de causa Tiberius abnuerit hoc verbum, a Dione luculente exponitur, omittitur a Suetonio. Huic rei ab utroque adicitur Tiberium vetuisse militem in iudicio Graece testificari, sed Dio accuratius centurionem illum appellat (Dio 57, 15, 3. Suet. Tib. 71).

Quas res cum ab utroque una sint relatae ex eodem fonte fluxisse dubium non est.

Porro Dionis narratiuncula tractanda est, quam apud Suetonium non in vita Tiberii, sed in libro, qui inscribitur „de grammaticis“, videmus:

Dio 57, 17, 2.

ἐνθυμηθεὶς οὖν νυκτὸς περὶ αὐτοῦ πάντας τοὺς τὰ τοιαῦτα ἀκριβοῦντας μετεπέμψατο· πάνυ γὰρ δὴ ἔμελεν αὐτῷ τοῦ καλῶς διαλέγεσθαι· καί τινος Ἀτηίου Καπίτωνος εἰπόντος ὅτι εἰ καὶ μηδεὶς πρόσθεν τὸ ὄνομα τοῦτ' ἐφθέγξατο, ἀλλὰ νῦν γε πάντες δὶα σὲ ἐς τὰ ἀρχαῖα αὐτὸ καταριθμήσομεν

Μάρκελλός τις ὑπολαβὼν ἔφη „σὺ Καῖσαρ ἀνθρώποις μὲν πολιτείαν Ῥωμαίων δύνασαι δοῦναι, ῥήμασι δὲ οὔ."

Suet. de gram. 22.

Hic idem (Marcellus) cum ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Ateio Capitone, et esse illud Latinum, et si non esset, futurum certe iam inde:

„Mentitur", inquit, „Capito; tu enim Caesar civitatem dare potes hominibus, verbo non potes".

Quamquam scriptores nonnullis verbis et rebus gravibus mire consentiunt, Dionem pendere ex Suetonio non crediderim, cum ille uberior sit causa non omissa, qua commotus Tiberius grammaticos convocaverit, sed eandem originem hasce res habere, quae melius cognoscitur ex Dione, consentaneum est.

Plane igitur apparet nusquam Dionem Suetonio ipso usum esse, cum omnibus fere locis copiosius narraverit, neque res eodem ordine atque apud illum compositae neque ex ulla memoria publica ab eo haustae apud Dionem inveniantur. Sed si minus eundem librum at certe eandem famam saepius secuti sunt, quam Dio diligentius conservasse videtur.

2.

Iam pauci Dionis loci mihi tractandi sunt, quibus cum aliis scriptoribus, quorum libri in manibus nostris sunt, valde consentit.

Titi Sabini, equitis Romani, supplicium quidem ex Tacito haustum esse supra demonstravi, sed apud Dionem

pauca invenimus adiecta, omissa a Tacito: canem fidelem et corpus Gemoniis iniectum, de quibus scripta videmus apud Plinium quoque loco supra laudato n. h. 8, 145. Conferas scriptores:

Dio 58, 3.	Plin. n. h. 8, 145.
τό τε σῶμα αὐτοῦ κατὰ τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφη καὶ ἐς τὸν ποταμὸν ἐνεβλήθη. ἐδείνωσε δ᾽ἐπὶ πλέον τὸ πάθος αὐτοῦ κύων τις τοῦ Σαβίνου, συνεσελθών τε αὐτῷ ἐς τὸ οἴκημα καὶ ἀποθανόντι παραμείνας, καὶ τέλος καὶ ἐς τὸν ποταμὸν συνεσπεσών.	Sed super omnia in nostro aevo actis populi Romani testatum, Appio Junio et P. Silio coss. cum animadverteretur ex causa Neronis Germanici filii in Titium Sabinum et servitia eius, unius ex his canem nec in carcere abigi potuisse nec a corpore recessisse abiecto in gradibus gemitoriis maestos edentem ululatus, magna populi Romani corona — — — innatavit idem cadevere in Tiberim abiecto sustentare conatus effusa multitudine ad spectandam animalis fidem.

A Dione ipso hanc narratiunculam adiunctam esse facile credas, si animadverteris, quam inepte copulata sit cum ceteris rebus. Cum enim, cur miserabilis Sabini caedes horribilior reddita sit hac re pro supplicii atrocitate admodum exigua, non satis intellegatur, et ad copulandum et ad maius momentum tribuendum rei notabili sibi visae „ἐδείνωσε δ᾽ἐπὶ πλέον“ Dionem scripsisse in aperto est.

Sed ex actis diurnis Dionem hanc rem sumpsisse, in quibus Plinius eam scriptam viderat, parum est verisimile, quod nusquam alibi in Dionis libris illorum monumentorum

vestigia praeter nomen identidem commemoratum nobis occurrunt[177].

Eo magis probatur e Plinio eum hoc hausisse, praesertim cum Plinium ex ipsis actis non ex scriptore quodam, qui acta iam laudaverat, hausisse ideo existimandum sit, quod non illorum temporum scriptores, apud quos haec extare poterant, sed acta populi fontium numero libro 8. praemisso inseruit[178]. Quin etiam ante Plinium ullum historicum prodidisse hanc narratiunculam credibile non est, quia Tacitus, quamquam copiose ac diserte Sabini exitium enarravit, omnino eam non memoravit, satis quidem idoneam, qua animos legentium, quod imprimis spectat, propensos redderet ad misericordiam.

Quod autem Dio paulo discrepat a Plinio, dicat quis non Plinio ipso sed alio quodam scriptore Plinium secuto eum esse usum. Atqui parum valet discrepantia; quod enim apud Plinium canis est servi alicuius Sabini, apud Dionem Sabini ipsius, nihil mirum habet, si praesertim ex memoria Dionem scripsisse putamus et si respexeris servis et antea plane neglectis Dionem sicut Tacitum in Sabinum solum animum intendisse. Scilicet Dionem diligenter perscrutatum esse Plinii naturalem historiam ad materiam historiis comportandam, quis est qui putet, verum legisse eum illos libros atque nonnullas res memoriae mandasse a vero non abhorret, quoniam et Dio erat vir litteris eruditissimus et Plinii libros illis temporibus celebratos atque in manibus fuisse hominum doctorum constat[179].

---

177. cf. infra p. 88 sq. Wilmans, de font. et auct. Dionis Cassii. Diss. Berlin 1835 p. 24 Dionem actis publicis usum esse hoc loco nixus existimat, Christensen l. c. p. 72. Plinium ipsum adhibitum esse non negat. Verum uterque strictim rem attingere satis habet.

178. cf. Detlefsen, Plinius d. Aelt. Phil. 34 p. 49.

179. cf. Solin. ed. Mommsen p. XXI.

3.

Atque etiam cum Seneca filio Dio duobus locis consentit, qui idcirco diligentius inspiciendi sunt, quod ex alio Dionis loco (61, 10) plane elucet ita non eum ignorasse Senecae scripta ut rerum, quas apud illum scriptas viderat, memoriam repetere non posset.

Primum tractandum est facete dictum de morte Apicii, quod a Dione expositis Seiani moribus interiectum esse facile cognoscitur. Iam affero locos qui consentiunt:

Dio 57, 19, 5

Ἀπικίου ἐκείνου ὃς πάντας ἀνθρώπους ἀσωτίᾳ ὑπερεβάλετο οὕτως ὥστε, ἐπειδὴ μαθεῖν ποτὲ ἐθελήσας, ὅσα τε ἤδη καταναλώκει καὶ ὅσα ἔτ᾽ εἶχεν, ἔγνω, ὅτι διακόσιοι καὶ πεντήκοντα αὐτῷ μυριάδες ἔτι περιεῖεν, ἐλυπήθη τε ὡς καὶ λιμῷ τελευτήσειν καὶ ἑαυτὸν διέφθειρεν.

Sen. dial. 12, 10, 9.

Cuius (Apicii) exitum nosse operae pretium est. Cum sestertium millies in culinam coniecisset, cum tot congiaria principum et ingens Capitolii vectigal singulis commissationibus exsorpsisset aere alieno oppressus rationes suas tunc primum coactus inspexit superfuturum sibi sestertium centies computavit et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit.

Nulla propemodum re Dio discrepat a Seneca praeterquam quod ex sua consuetudine Romanam sestertiorum rationem permutat Graeca drachmarum, neque tam copiose tradit nonnullis rebus exiguis omissis unde ex memoria eum memoravisse apparere videtur.

Senecam hanc fabellam audivisse aliquando non ex libro accepisse ipsius verbis enuntiatur: „cuius exitum nosse operae pretium est“, ex quibus perspicitur hanc rem illa

aetate nondum omnibus notam antea litteris mandatam non esse. Porro, quamquam posteriores scriptores saepenumero ab Apicio petiverunt gulae exemplum[180], tamen neque alii ante Senecam eum commemoraverunt, neque Valerius Maximus, qui 11,1 exempla profert luxuriae libidinisque. Exitum vero sane notabilem praeter Senecam Dionemque nemo nisi Martialis 3, 22 breviter significat, quem ex Seneca populari suo hoc novisse incredibile non est; neque Plinius, ut qui studiose consectatus sit narratiunculas, neque Iuvenalis, tametsi uterque identidem Apicium nominat, finem eius memorant. Cum igitur haec narratiuncula neque ante Senecam neque postea ita esset celebrata, Dioni Senecae loci in mentem venisse verisimile est[181].

Idem confirmari potest de altero loco, quo quidem Dio 57, 24, 4 de Cremutii Cordi libris tradens Marciae filiae opera conservatis Senecae (ad Marc. 1, 3 sq.) memoriam repetiisse videtur. Quamquam enim de fine illius Tacitus et Dio prope eadem tradunt, non ita tamen concinunt, ut non tam hunc ex illo hausisse quam eandem utrumque famam secutum esse credibile sit. Neque vero apud Tacitum extat quod traditur a Dione[182]: Marciae cura maxime factum esse ut libri occulte reservati postea denuo ederentur. Quare ab eo auctore, quem ipsum sive alium, qui ex eo hauserat, uterque sequebatur, hoc traditum esse non potest, quia Tacitus hoc pietatis erga patrem exemplum, si in fonte invenisset, haudquaquam omisisset, verum etiam Dionis verbis significatur hoc ab eo esse adiectum[183]. Accedit, quod neque Quintilianus (10, 1, 104), tametsi libros Cremutii circumcisos denuo editos esse non ignorabat, neque Suetonius (Cal. 16),

---

180. PJR. 2 p. 53.

181. Bergmans p. 85 in eandem sententiam commentatus demonstrando deest.

182. *„ὕστερον δὲ ἐξεδόθη τε αὖθις (ἄλλοι τε γὰρ καὶ μάλιστα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Μαρκία συνέκρυψεν αὐτά).“*

183. cf. adn. 182.

qui Caligulam libros illius requiri et lectitari passum esse tradidit, Marciae pietatem commemoravit.

Cum autem Seneca non in aliis libris sed in epistula ad Marciam ipsam scripta[184] pietatem eius laudet, libros ab ea potissimum conservatas esse nisi inter amicos notum non fuisse et Dionem a Seneca hoc esse mutuatum veri est simillimum[185].

III.

1.

Quod iam accedo ad inquirendum in Dionis auctores, quorum libri deperditi sunt, primum existit quaestio, adhibueritne Dio ad res Tiberii tradendas monumenta publica et qualia fuerint adhibita.

Acta publica vel diurna et acta senatus, quia saepius laudantur a Dione[186], adhibita esse ab eo nonnulli contenderunt[187], alii recte abnuerunt. Primum enim Dionis aetate acta illorum temporum superfuisse parum constat, deinde Dio se Capuae in otio composuisse historias suas ipse profitetur (76, 21), ubi illa volumina ampla dumtaxat et vasta, quae ut evolveret, cum Romae versaretur, tempus eum defecisse manifestum est, perlustrandi facultatem non habuit.

---

184. Ad Marc. 1, 3 sq. „restituisti (Marcia) in publica monumenta libros quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat . . . magnum mehercule detrimentum respublica ceperat, si illum . . . non eruisses.“

185. Accedunt ea quae disserui ad Hauptii Phil. 43 p. 699 sententiam confirmandam, qui, quod et Dionem in coniuratione Cinnae tradenda (55, 14—22) mire consentire cum Seneca intellexerat (de clem. 1, 9), Dionem ex Seneca hausisse censuit, praesertim cum nemo nisi Seneca et Dio de hac re rettulisset.

186. Locos collegit Wilmans l. c. p. 24.

187. Reichau l. c. senatus actis, Wilmans l. c. populi actis eum usum esse disseruerunt.

Accedit quod in libris eius nihil invenitur, ex quo actorum vestigia recognosci possent, si discesseris a narratiuncula de Sabini cane memorata, quam e Plinio haustam esse modo demonstravi (p. 84 sq.). Senatus vero actis Dionem usum esse eo refutatur, quod Dio Taciti exemplum parum secutus rebus Caesarum perraro inseruit, quae in senatu agebantur et eos locos ubi paulo copiosius de rebus in senatu Tiberii utique aetate actis exposuit[188], ex Tacito eum sumpsisse demonstrare conatus sum.

At enim, si quis Dionis historias diligentius perlegerit, insigne ei visum iri puto, quod iste non solum in libris in hac disputatione tractatis sed etiam in aliis, quos quidem integros habemus, saepenumero accurate exposuit de magistratibus aliisve rebus quae ad rempublicam administrandam pertinent, quas neque Tacitus[189], neque Suetonius neque alius rerum Romanarum scriptor memoravit, unde apparet Dionem ipsum maxime studuisse eiusmodi rebus et diligenter eas collegisse, neque vero repperisse apud auctores, quos ceteros scriptores de eadem aetate referentes secutos esse consentaneum est. Et quam peritus fuerit eiusmodi rerum ex eo maxime intellegitur quod plerumque adnotare solet, si quid novum aut insolitum acciderit in re publica administranda.

Tradit enim, ut nonnulla afferam: 43, 48 dictos esse feriis Latinis anni a. C. 45. plures praefectos urbi, quod nunquam aut antea aut postea factum sit;

53, 33, 3 successisse anno a. C. 23. in locum aedilis pleb. defuncti aedilem cur. quod nullo alio exemplo probatum sit;

54, 2, 1 Aemilium Lepidum et Munatium Plancum om-

---

188. cf. 57, 12. 58, 17 sq.

189. Tacitus raro auctor est eiusmodi rerum cf. 1, 14; 15; 76. 2, 36.

nium, qui homines privati censuram egissent, ultimos fuisse[190];

48, 43, 1 consules anni a. C. 38. primos habuisse binos quaestores.

Atque etiam in libris, quos tractamus, adnotat 58, 19, 6 Vitrasio Pollione praef. Aeg. mortuo Iberum Caesaris libertum administrasse provinciam, quamquam iste non diutius quam paucos menses regeret[191], neque neglegendum est Dionem non ignorare nomen utriusque, qui etiam 57, 10, 5 nomen alterius praef. Aeg. Aemilii Recti afferat a Suetonio omissum[192]. Tradit porro 57, 14, 4 rectam esse Cretam praefecto defuncto a quaestore, et 57, 16, 1 ex antecedentis anni quaestoribus nonnullos missos esse in provincias.

Idem tradit de novis magistratibus institutis velut:

53, 32 de aerarii praetoribus ab Augusto dictis[193];

57, 14, 8 de curatoribus riparum et alvei Tiberis[194] et 57, 16 de curatoribus tabularum publicarum a Tiberio constitutis[195];

60, 10 de triumviris dictis a Claudio ad aerario debita exigenda[196];

43, 41 aedilibus Cerialibus constitutis, quos usque ad suam aetatem permansisse adnotat.

Nec minus momentum tribuit magistratuum numero, si forte aliqui super solitum numerum crearentur. Tradit enim:

43, 47 auctum esse a Caesare numerum et praetorum ut quattuordecim et quaestorum ut quadraginta quotannis essent;

---

190. cf. Suet. Claud. 16.

191. cf. P. M. Meyer, Zur Chronol. d. praef. Aeg. Herm. 32 p. 210.

192. cf. p. 81.

193. MSTR. 2 p. 558². Hoc forte memoratur a Tacito 13, 29.

194. Hirschfeld K. V. p. 260.

195. MSTR. 2 p. 558³.

196. Mommsen l. c. p. 559².

43, 49 anno a. C. 45. et proximis annis sedecim praetores esse creatos;

43, 51 anno a. C. 44. fuisse quadraginta quaestores, sex aediles, praetores sedecim, quod sibi memorandum non fuisse cum iam proximo anno sedecim praetores fuissent;

53, 22 Augustum per complures annos ad decem reduxisse praetorum numerum;

58, 20, 5 anno p. C. 33. ac saepius quindecim praetores esse creatos, sed etiam sedecim vel pauciores sub Tiberio imperatore;

60, 10 Claudio imperitante certum praetorum numerum constitutum non esse: quattuordecim aut summum duodeviginti creatos esse.

De minuto quoque consulatus tempore disseruit 43, 46: a Caesare iam esse imminutam diuturnitatem consulatus neque sua aetate consules amplius duos menses munere functos esse. Quare se nisi eos, qui praeter ceteros floruissent et eos quorum nomine anni numerarentur, nullos allaturum esse. Neque affere omittit 58, 20, 1, Domitium Tiberii progenerum per totum annum functum esse consulatu et Claudium C. Largo concessisse annuum consulatum (60, 10, 1).

Quibus ex exemplis, quamquam omnia affere non potui, satis apparet Dionem non pauca et fortuito in quovis scriptore reperta recepisse, sed ipsum hasce res diligenter investigasse compluribus plerumque una allatis in modum digressionis. Neque neglegendum est Dionem eiusmodi res memorantem semel iterumque comparare priorum temporum instituta cum eis, quae sua aetate vigebant.

Sed unde conquisivit eam scientiam? Certe omnia fere exempla, quae protuli, optime eum docere poterant tabulae magistratuum praefectorumque, quas in imperio Romano extitisse dubium non est, cum ad rem publicam rite administrandam necessariae essent[197]. Et liberae quidem rei

---

197. Testimonia eiusmodi tabularum prompsit Teuffel-Schwabe 1 p. 120.

publicae temporibus, quippe cui paucis admodum magistratibus opus esset, nomina eorem certa ratione nondum semper esse consignata neque ante Caesaris aetatem rebus omnibus ad unum delatis aliquid momenti tributum esse publicae memoriae cum ex Ciceronis loco[198], tum ex eo intellegitur, quod anno circiter 34. a. C. fasti Capitolini, qui dicuntur et triumphales conscripti sunt[199].

Atqui Dionem, ut cui per tot annos in re publica versato eiusmodi tabulas persaepe inspiciendas fuisse ac perlustrandas consentaneum sit, neglexisse eas ad historias scribendas credibile non est[200]. Accedit quod illae tabulae, cum essent minus amplae, quam actorum populi senatusque volumina, habiliores erant ad exscribendum.

2.

In libri 57. capitibus 1—6. a Dione ad Tiberii principatus initium enarrandum auctorem littera A a me significatum maxime esse adhibitum supra demonstravi, qui quidem cum aliis rebus ad rerum memoriam notabilibus tum maxime in senatu actis fere omissis, quibus Tacitus magnum momentum tribuit, Tiberium solum, dicta factaque eius respiciebat. Neque vero favit Tiberio, immo in malam partem accepit mores factaque eius, neque Germanico, quamquam pro aemulo Tiberii perinde ac Suetonius, quocum illum etiam aliis in rebus consentire supra animadverti, eum habet, ita studet ut Tacitus. Plures res extitisse in hoc

---

198. Cic. de leg. 3, 20, 46 anno a. C. 51 queritur: „publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus.“

199. cf. O. Hirschfeld Herm. 9 p. 93; 11 p. 154.

200. Adhibuit enim tabulas censorias etiam Phlegon Tràllensis, scriptor Dione longe inferior in libro qui inscribitur: περὶ μακροβίων“ Cf. Wachsmuth. l. c. p. 237.

fonte quam a Dione traduntur verisimile non est, quoniam Dioni nonnullae res ex aliis fontibus addendae visae sunt.

Atqui Dionem illum fontem A, quo ad res ad Tiberii ingenium moresque illustrandos gravissimas tradendas maxime nixus sit, ad ceteram quoque Tiberii aetatis historiam componendam frequenter adhibuisse, existimare absurdum non est.

Et invenimus etiam aliis locis illius fontis vestigia, quae diligenter inquirenti difficilia cognitu non sunt.

Primum rerum anni p. C. 15 locum apud Dionem c. 14, 1 obtinet narratiuncula illa de scurra cuius facitiis Tiberius commotus sit, ut legatum populo ab Augusto constitutum solveret, qua in re Dionem consentire cum Suetonio supra est monstratum (p. 82). Cum enim ceterae res eiusdem anni laudi magis sint Tiberio quam crimini, quin etiam non ita multo supra c. 10, 3 publica eius liberalitas comitasque valde laudatae sint, hoc loco sordis Tiberius arguitur et crudelitatis, quae ut magis eluceret, anno 15. ab hoc auctore tributa videtur haec res, quam alios rebus anni 14. interposuisse Dio ipse profitetur[201].

Sub anno 16. primum traditur de veste serica aureaque suppellectile a Tiberio vetitis. Sane Dio perinde ac Suetonius omnia tribuit Tiberio, quae apud Tacitum 2, 33 senatus consulto statuta sunt.

Deinde Dio ad annalem continuationem reversus tradit de fine Libonis novas res moliti. Nec desunt fontis A vestigia. Cum enim Tacitus 2, 27—32 id maxime spectaverit ut de Libone ipso fortunaque eius exponeret, Dio nihil nisi, quomodo Tiberius animadverterit in adulescentem stultum magis quam noxium, tradere satis habet.. Accedit quod et verba: „*τέως μὲν ἔρρωτο οὐκ ἔκρινε νοσήσαντα δὲ ἐπιθάνατον — — — ἐς τὴν γερουσίαν ἐκόμισα*“, parum consentanea ad cap. 7—13, ad Tiberii crudelitatem planius illustrandam scripta esse manifestum est, et omnia rebus exiguis omissis eadem cum brevitate

201. „*καὶ τοῦτο μὲν τῷ προτέρῳ ἔτει γενέσθαί τινὲς λέγουσιν.*“

sunt prodita, quam in capp. 1—6 propriam fuisse huius fontis vidimus. Atque animadvertendum est, Dionem hic eodem modo quo c. 6, 4 de supplicatione ob Libonis mortem habita diligentius tradere, Tacitum nihil nisi supplicationum dies in senatu esse constitutos commemorare[202].

In eodem cap. paulo infra (§ 7) Dio, ut de Tiberii cum Thrasyllo astrologiam professo consuetudine narraret eo commotus esse videtur, quod statim tradit de magis et mathematicis ex urbe expulsis, quod in fonte A eum invenisse verisimile est, quoniam per Tiberium ipsum gestum esse tradat, quae Tacitus a senatu iniussu principis decreta esse perhibet[203].

Ex rebus anni p. C. 17. ea quae de Archelao rege leguntur c. 17, 3 sq. alteram in partem ex fonte A fluxisse a vero non abhorret, cum ea quae §§ 5. et 6. de vita Archelai afferuntur, quoniam a ceteris rebus facile possunt sevocari, aliunde recepta esse a Dione eo probetur, quod et iterum disseruit de lectica operta[204], et verbis: „τότε μὲν οὖν οὕτως ὁ Ἀρχέλαος ἐσώθη“ se digressum ad propositum reverti ipse

202. Ex eis quae disserui satis apparet Dionem hoc loco ex Tacito non hausisse, ut ait Bergmans p. 58, 59, allatis argumentis non ita idoneis. Nam etiam hoc neglegendum non est Dionem hic plane omisisse Libonem in perniciem esse deductum falsi amici insidiis (Tac. 2, 27), quod rursus copiose exposuit iu Sabini exitu tradendo (58, 1), ubi ex Tacito eum hausisse manifestum est. A Dione ipso apposita videntur verba: „ἀναβολῆς τινὸς γενομένης“ et ea quae dicit de „σκίμποδίῳ κατάστέγῳ,“ cum etiam de Pisone in iudicium vocato illa locutione utatur (cf. Bergmans p. 59) et de hac lectica aliis quoque locis disserat (cf. 57, 17, 6. 60, 22, 3). Solet sane in similibus rebus tradendis uti similibus verbis; cum enim, ut hoc utar, de Tiberis fluminis inundationibus scribit, adicere solet; ὥστε πλευσθῆναι vel πλεῖσθαι“ (cf. 53, 20, 1; 33, 5; 57, 14, 7; 58, 26, 5). Aliud exemplum affert Haupt, Phil. 44 p. 161.

203. Tacitus minus diligentur tradit Dione, qui hic quoque magis consentit cum Suetonio Tib. 36. Cf. Nipperdey-Andresen ad l. c. et Ulpiani fragm. illic landatum.

204. cf. adn. 202.

significat. Sed in eis, quae ad Archelai in senatu discrimen pertinent et quae breviter et restricte modo fontis A tradita videntur, Tiberius ipse foeda ulciscendi cupidine pellectus animadvertit in Archelaum. Ceterum consentiunt haec in rebus gravibus cum Tacito (2, 42), in exiguis discrepant ita, ut non tam Dionem ex Tacito hausisse, quam eandem famam utrumque secutum esse recte credatur.

Ad initium capitis 18. valde haud dubie ab epitomatore mutilatum, quo Dio paucis absolvit res a Germanico in Germania gestas, Boissevain adnotat: „s. a. 17. quo Germanicus triumphavit, res ab eo in Germania a. 15—16. gestas Dio enarravit.“ Verum non tam triumphasse Germanicum, quam revocatum ex provincia missumque esse in Orientem Dionis intererat neque igitur id ab eo omissum esse verisimile est. Proinde, quo ex fonte hoc a Dione sumptum sit, quamvis ad certum redigi non possit, tamen ex eo quod epitomator hanc rem gravissimam breviter perstrinxit, colligi potest perpauca de Germanici factis eum apud Dionem ipsum repperisse adiuncta ad discessus eius ex provincia memoriam. Quare non abhorret a vero ex fonte A ea quae Dio memoravit originem duxisse, cum illum auctorem non commemoravisse Germanicum a Tiberio, ut qui angeretur gloria eius, esse revocatum neve facta eius, ut fontem invidiae principis et originem ostenderet, quamvis summatim, ut adsolet, prodidisse, si pro certo affirmari non potest, attamen verisimile est.

De eis, quae ad Germanici mortem tradendam ex fonte A Dionem hausisse verisimile est, cf. p. 42.

Dio, quod Tiberium Germanico mortuo subito se prorsus commutavisse perhibet e scriptore A pendere idcirco videtur, quod hunc scriptorem, ut qui pro aemulo Caesaris haberet Germanicum, eo magis praedicasse illam commutationem consentaneum est, quod iam antea non optime de eo sensisset. Dionem in tempore commutationis consentire cum Suetonio, quod supra adnotavi (p. 38 adn. 97), neglegendum non est.

Atque etiam Dionem ea, quae de vita Seiani moribusque exponebat, a Tacito mutuatum esse supra disputatum est (p. 45 sq.). Quod autem de Seiano ornamentis praetoriis donato adiecit nescio an ex scriptore A hauserit, quem etiam pauca de Seiani potentia apud Dionem Taciti oratione obscurata addidisse incredibile non est. Etenim haec utique sententia satis odiosa; „τοῦτον οὖν ὁ Τιβέριος ἐκ τῆς τῶν τρόπων ὁμοιότητος προσλαβών" bene convenit illi auctori.

Sub anno 21. Dio in Clutorii Prisci causa et in senatus consulto propter supplicium eius facto tradendis (c. 20, 3; 4) discrepat a Tacito (3, 49—51), quia hic maxime spectavit, ut rem in senatu actam, sententias pro reo dictas et contra eum diligenter proderet. Neque Tiberium postulavisse senatus consultum, ne ante diem decimum iudicia ad aerarium deferrentur, apud Tacitum scriptum videmus, ut apud Dionem, sed vituperasse modo festinatum Prisci supplicium. At Dio cum neminem nisi Tiberium saevitiamque eius respiciens, quomodo hic oppresserit Priscum tradere satis habeat, plane ostendit rationem fontis A. Quin etiam Clutorii culpam damnationemque apud eum ideo commemoratam esse putaveris, ut Tiberii ira illustraretur.

Ad Drusi necem memorandam quantum fluxerit ex scriptore A videas supra p. 49.

Quod Dio Tiberium vetuisse testari eos, quibus aqua et igni esset interdictum, tradit (c. 22,5), re vera a senatu hoc constitutum esse verisimile est, tametsi deest Taciti testimonium. Atque etiam quae sequuntur de accusatione et supplicio Aelii Saturnini (c. 22, 8) ita sunt intellegenda, quasi sua sponte Tiberius accusaverit illum et supplicio affecerit[205]. Haud aliter de Capitone, quem a provincialibus in ius vocatum esse magna cum adseveratione principis apud Tacitum legimus (4, 15), Dio exposuit, tamquam nemo nisi Tiberius

205. „ὑπό τε τὴν βουλὴν ὑπήγαγε καὶ . . . κατεχρήμνισεν."

ipse eum petivisset[206]. Quare haec omnia ex fonte A originem ducere credibile est, quod non minus dici potest de decursione cohortium praetoriarum a Dione c. 24, 5 memorata: tyranni nimirum imaginem Tiberius apud Dionem expressit militum metu senatum coercentis.

Verba quae Dio (58, 1, 1 s. a. 26) perpauca, quasi in annalibus publicis extitissent, de Tiberii secessu in Campaniam Capreasque fecit, cum respondeant illis de fine Drusi[207] factis, e fonte A sumpta esse verisimile est, qui quidem magis elucet ex proxima sententia, qua breviter perstringitur theatri Fidenatium strages a Tacito 4, 62; 63 et Suetonio Tib. 40 luculente et copiose descripta. Cum autem Tacitus laudet Tiberium ac ne Suetonius quidem eum vituperet, Dio omnem illius cladis culpam ei tribuit.

Quae Dio profert de fine Liviae (58, 2) in tres partes secerni possunt, quarum una continet ea, quae (§ 1) paucis verbis referuntur de exitu Augustae, funere, modicis honoribus a principe concessis, quae, cum omnia efficiantur per Tiberium asperum se praebentem et inhumanum, e fonte A hausta esse videntur. Sed alteram (§§ 2; 3; 6), quae complectitur honores a senatu Augustae decretos, ex alio fonte fluxisse necesse est, quoniam sententia: „*οὐ μέντοι καὶ μόνα οἱ ἡ βουλή, ὅσα ἐκεῖνος ἐπέστειλεν, ἐψηφίσατο, ἀλλὰ κτλ.*“ pugnat cum illa (§ 1): „*οὐ μὴν οὐδὲ ἐς τιμήν κτλ.*“ Denique Liviae facete dicta (§§ 4. 5) ex tertio fonte adiecta esse videntur. Optime sane hoc loco cognoscitur, quomodo Dio materiam in fontibus oblatam conflaverit.

Proxima Dionis capita (3—16), quibus maximam partem agitur de Seiani potentia, superbia, subitaque clade, ex uberioribus fontibus hausta esse manifestum est. Quo factum est, ut ea quae ex fonte A Dio sumpserit, quem de illis rebus tradidisse dubium non est, plane oppressa videantur et obscurata.

---

206. 57, 23, 4 „*Καπίτωνα . . . ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε . . . καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ . . . ἐφυγάδευσεν.*“

207. 57, 22, 1. cf. p. 65.

Quare non ante cap. 58, 21 (a. 33) certa vestigia illius scriptoris recognoscuntur, ubi brevi commemoratur et Tiberium esse versatum iuxta urbem et nupsisse Germanici filias Juliamque Drusi. Certe quidem ratio illius restricte omnia tradentis ostenditur, quod Dio Juliae nuptias, quam paulo post Germanici filias nupsisse Tacitus testis est (6, 27), statim adiecit. Nec minus, quae extant eiusdem capitis §§ 4; 5 accommodata videntur huic fonti, cum apud Dionem, sicut cunctatio Tiberii in seditionibus militum (57, 3), auxilium eius in difficultate nummaria effectum sit Vibuleni Agrippae caede et Coccei Nervae. Verum ex Tacito (6, 40; 27) res ita cohaerere haudquaquam intellegitur, cum Tiberium sua sponte liberalitate usum esse tradat, non, ut apud Dionem, illorum nece perterritum. Quin etiam neglecto temporum ordine aeque ac 57, 3 hae res coniunguntur, cum a. 36 Agrippam manus sibi intulisse Tacitus auctor sit.

Sex. Marii supplicium, quod sequitur (c. 22), fabula insuper exornatum, Tiberio non commemorato, ex alio quodam fonte fluxisse videtur, cum scriptorem A in re vere notabili Tiberium agentem non induxisse incredibile sit. Tamen Dio ad proxima pergit verbis: „*ἐπὶ μὲν τούτοις αἰσχύνην ὠφλίσκανεν* (scil. Tiberius) *ἐπὶ δὲ δὴ τῷ τε τοῦ Δρούσου καὶ τῷ τῆς Ἀγριππίνης θανάτῳ ὠμότητα.*“ Nam statim in morte Drusi Agrippinaeque commemoranda omnia Tiberio tribuuntur, Seiani insidiis plane omissis[207*]. Ex fonte A hoc esse haustum dubium non videtur.

Sententia: „*τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἦρι ἐκεῖνος ἐπί τε Γναίου . . . ὑπάτων* (c. 27, 2 s. a. 37), qua mors Tiberii postea copiosius enarrata praecipitur, cum propter brevitatem, aridam annalium publicorum orationem redolentem, similis sit illarum, quas vidimus 58, 1 et 57, 22, ex fonte A fluxisse videtur, quem etiam eorum, quae proximis §§ 2; 3. de Thrasyllo vitae annos Tiberio portendente et de damnatis eo astu servatis leguntur,

---

207 a. cf. 57, 22

quae differe a Tacito supra disserui (p. 76), auctorem fuisse facile creditur, praesertim cum illud Thrasylli praesagium cum Suetonio Tib. 62 consentiat. Verum de morte Tiberii ipsa Dio eam famam secutus esse videtur, quae, cum non solum apud Suetonium (Tib. 73. Cal. 12) sed etiam apud Tacitum (6, 50) scripta extet, apud plerosque valuisse videtur, qua de causa Dio utrum Tacitum, ut quo paulo ante usus est, an scriptorem A, quem non omisisse hanc famam atrocem satis et indignam pro certo affirmaverim, adhibuerit ad certum redigi non potest.

Quodsi ea, quae ex hoc auctore originem ducere demonstravi, in brevi conspectu ponam, Dio eas potissimum res, quae vel maximi momenti erant ad illorum temporum memoriam, quamquam plerumque alii insuper fontes adhibebantur, vel principes singulorum annorum res tradebantur, huic auctori debere videtur. Quare eum Dioni fuisse tamquam fundamento putaveris in quod ceteras res undique conscriptas imponeret. Certe Dioni, quippe qui suis studiis copiam uberrimam cuiusvis rerum generis ad augendas historias suas et ornandas coegisset, auctor non ita copiosus aptior erat quem sequeretur, quam fons uberrimus, quoniam et res per tempora accurate, si discesseris a paucis erroribus, digestas tradidit et propter brevitatem orationis omissis plerumque rebus exiguis facultatem dedit Dioni, ut, quodcumque volebat adiceret et interponeret. Sed diligentia et fide hic auctor longe cedit Tacito, qui meliorem famam plerumque et uberiorem conservabat. At tamen Suetonio, qui saepius eandem famam seculus est, nonnumquam praestat et idcirco laudandus est, quod non recepit omnes illas libidines crudelitatesque[208] apud Suetonium (Tib. 42—45; 61—62) Tiberio crimini datas. Aequalem Tiberii eum fuisse

---

208. Verba perpauca, quae Dio fecit (58, 22, 1) de libidine Tiberii e fonte A fluxisse a vero non abhorret.

verisimile non est; nescio an Flaviis imperantibus scripserit, quos multo praestare Juliis Claudiisve demonstrare voluit.

3.

Postremo mihi est disserendum de libri 57. parte a cetera oratione aperte differente. Nam Dio, postquam 57, 1—6, quomodo Tiberius susceperit imperium memoravit, priusquam res per annos digestas continuare coepit, exposuit de Tiberii rationibus imperandi ac virtutibus[209]. Cum autem in illis capitibus (1—6), ubi fontem A praecipue Dionem secutum esse demonstravi, Tiberio plerumque obtrectatum sit, in his (7—13) tamquam exemplar principis vere egregii ab eo repetitur, omnibus vitiis praeteritis, donec Dio ad singulas res per annos tradendas reversus laudem eius denuo subinde rescidit. Quare haec de Tiberii virtutibus exposita prorsus pugnare cum ceteris rebus, quamvis Dio non diutius quam usque ad mortem Germanici Tiberium bonum se praestitisse identidem enuntiaverit[210], satis apparet. Etenim, ut pauca afferam, etsi c. 10, 3 laudatur publica eius liberalitas et clementia (c. 11, 2), tamen paulo post eum non modo in legato solvendo parcum et tenacem, sed etiam scurrae supplicio crudelem se praebuisse traditur (c. 15, 2). Non appetisse eum aedificiorum magnificorum laudem contenditur (c. 10, 2); nihilo setius eum necavisse architectum, cuius arti invidisset, memoratur c. 21, 5.

Verum etiam hic inveniuntur, quae aliis locis iterum cum aliis rebus coniuncta proferuntur. Quamquam enim supra (57, 2, 1) scriptum vidimus Tiberium Augusti nomen repudiasse, idem repetitur 57, 8, 1, ubi Tiberii in nominibus accipiendis modestia laudatur. Sine acerba vituperatione c. 9, 3

209. Ceterorum quoque principum rebus praemittit morum eorum descriptionem; cf. 59, 3—5; 60, 2—7.

210. 57, 7, 1; 13, 6; 19, 1.

commemoratur Tiberium postea multos propter laesam maiestatem interfecisse, quod Dio infra (c. 19, 1 sq.) iterum copiosius executus illi crimini vertit[211].

Denique quae de pecunia publica in rei publicae usus consumpta proferuntur c. 10, 2, aliis verbis denuo scripta videmus 57, 18, 1, ubi Tacito Dionem usum esse supra demonstravi (p. 39 sq.).

Accedit quod res in his capitibus non temere coniunctae sed per certas species accurate digestae sunt, quae omnia si animadverteris, Dionem fontem quendam adhibuisse, qui in bonam partem accipiebat Tiberii principatum, neque respexisse pugnare istum Tiberii laudatorem cum ceteris suis auctoribus facile credes. Significo hunc auctorem littera B. Consentit sane et in laude Tiberii et in ratione narrandi cum priore parte vitae Suetonii, qua de Tiberii virtutibus agitur, quem Dionem non adhibuisse, quoniam multas res vidimus apud eum, quae non extant aut apud Suetonium aut apud Tacitum, sed eandem famam eos secutos esse supra disserui (cf. p. 78 sq.).

Verum laudandus est hic scriptor B, ut qui iuste ac sine nimio studio aestimaverit Tiberium virtutesque eius, quibus primis principatus annis haud dubie florebat, tametsi non tam cogitando investigare sicut Tacitus naturam ingeniumque, quam bene factorum dictorumque eius memoriam posteris consignare in animo habuisse videtur. Etenim non ipse iudicat de Tiberio sed quasi incorruptus testis testimonium pro eo dicit, non oratione adulationibus, sicut Vellei, referta sed siccis verbis et sanis, non fabulas consectatus parum probatas sed fidem integram et veritatem.

Proinde hic scriptor, praesertim cum propter notitiam Tiberii cum amicis consuetudinis aliarumque rerum, quae nisi

---

211. Cum hic locus Dionis ipsius manum ostendat, Bergmans p. 75 vix recte scripsit eum illius quoque loci (c. 9, 3) sententiam consulto interposuisse.

paucis notae esse non poterant, amicum eum fuisse Tiberii vel certe aequalem non humili loco natum consentaneum sit, dignus videtur, cui inter eos, qui de primis Tiberii annis exposuerunt, fides habeatur maxima.

Sed mirum sane videtur, quod Dio, cum ceteroqui fontes suo arbitratu tractare soleret, huius fontis immutatam prope orationem recepisse videtur paucis a se adiectis.

Qua c. 7, 3 dicuntur de Druso sententiam dicente a Dione ipso esse interposita Bergmans p. 70 recte adnotavit, cum et ordo rerum interruptus sit, neque antea ulla re commemorata nec postea nisi a Tiberio gesta, et scriptorem B, si ex eo haec sententia fluxisset, Drusum Tiberii filium fuisse commemoraturum fuisse inde intellegatur, quod c. 13, 1, ubi primum induxit Drusum scripsit: „*τῷ δὲ δὴ Δρούσῳ τῷ υἱεῖ*“. Dionem hoc inseruisse studio rerum ad imperium administrandum pertinentium commotum facile creditur[212].

Eadem de causa etiam de iureiurando primo novi anni die in acta principis dicto, quod etiam aliis locis commemorat, pauca exposuit c. 8, 4, quae, cum ad alias quoque aetates referret, ipsum inseruisse manifestum est. Verba quoque, quae c. 9, 2 declarandi causa scripta sunt, a Dione adiecta esse facile creditur.

In capite 12. plura adiecta videntur a Dione. Nam postquam moderatione Tiberii memorata (c. 11) eandem modestiam eum postulasse a matre tradidit, quae, cum plane inter se cohaereant, ex fonte B originem ducere verisimile est, facultatem adeptum copiosius de Livia exponendi in proximis sententiis cum aliis ex fontibus tum e Tacito nonnulla

212. Haud absurde Bergmans p. 70 adn. 260 disseruit in mentem venisse Dioni illud Taciti 3, 22 „exemit etiam Drusum consulem designatum dicendae primo loco sententiae“. At Dionem, quia Drusum consulem designatum primo loco dixisse sententiam non perhibet non intellexisse Taciti locum illi concedendum non est.

adiunxisse supra demonstravi (p. 32). Sentientia quoque quae sequitur (c. 13, 1), non apud B extitisse sed a Dione interposita esse videtur, ut melius annecteret ad Tiberii in matrem acerbitatem severitatem eius erga filium, quoniam saepe ea copulandi ratione utebatur.

Sane non ita multa Dionis manum ostendunt et existimaveris eum hanc famam Tiberio opportunam ut omitteret, cum non apte confundere posset cum ceteris auctoribus in pessimam plerumque partem Tiberium accipientibus, quoniam eius non esse scimus naturam hominum ingeniaque diligenter investigare, a se impetrare non potuisse, qui esset veritatis studiosus. Quare hanc famam initio interpositam, ne nimis pugnaret cum aliis rebus, ad primos annos principatus eius pertinere semel ac saepius praedicavit.

Summa.

Quodsi ea, quae hac disputatione fusius disserui, in brevi conspectu pono, haec fere sunt pronuntianda:

1. Tacitum a Dione ita esse adhibitum, ut, si non in toto rerum ordine ac temporum neque ad Tiberii ingenium moresque exponendos, at certe ad gravissimae cuiusque rei narrationem amplificandam eum sequeretur atque ea saepe ab eo mutuaretur, quae plane ostendunt Taciti ingenium.

Maxime ad extremorum Tiberii annorum res tradendas (inde a clade Seiani) Dio Tacito (lib. 6) usus est, quia accuratius eum tradidisse plerisque ceterorum scriptorum vidit.

Paucis locis eandum famam scriptores secuti esse videntur.

2. Suetonius a Dione ad Tiberii res tradendas adhibitus non est. Verum compluribus locis eandem famam secuti sunt, quam apud Dionem diligentius conservatam vidimus.

3. Uno loco Dio Plinio, duobus Seneca filio usus est.

4. Dio ea, quae de re publica administranda, de magistratibus, aliisque eiusmodi rebus tradidit, ex tabulis publicis sumpsisse videtur.

5. Fundamento Dio usus est fonte parum copioso neque ita optimo littera A a me significato, cuius argumentum sua ratione supplere poterat. Qui fons Tacito multo inferior nonnumquam ab eo discrepat, saepe concinit cum Suetonio, cum uterque eandem plerumque famam reciperet Tiberio infestissimam. Sane haud bene Dioni contigit, ut hunc scriptorem eligeret, quem potissimum sequeretur.

6. Ea, quae de Tiberii virtutibus 57, 7—13 exposita sunt, ex fonte optimo odioque non corrupto fluxerunt, quem littera B significavi. Scriptorem eius Tiberii aequalem fuisse verisimile est.

7. Dionem etiam ex fontibus, quos recognoscere non possumus, nonnulla hausisse manifestum est.

8. Ex illorum temporum scriptoribus annalium velut Aufidio Basso, Servilio Noniano, Seneca patre Dionem non hausisse inde fortasse intellegitur, quod pleraque eorum, quae apud illos extabant, expedita repperit apud Tacitum.

9. Sane Dio non paucis fontibus usus, ut vera requireret omniaque quae memoranda ducebat, afferret et ipse sub censum vocaret suaque ratione tractaret, summa ope nixus est. At tamen optimos fontes malosque parum discrevit, cum praeter egregios auctores alios non ita laudandos sequeretur.

Si quis Tiberii res a Dione traditas comparaverit cum rebus Augusti vel Julii Caesaris vel aliorum imperatorum, quorum expressam imaginem nobis proposuit, facile cognoscet Dionem ea, quae bona de Tiberio tradita erant et mala recte coniungere et tamquam in unam effigiem con-

fundere non potuisse, cum saepe res ab eo memoratae vehementer inter se pugnent, vel bis eadem alio modo repetantur. Sed crimini hoc ei vertendum non est, quoniam nimis varie scriptores antiqui de Tiberio iudicabant, ac ne Tacito quidem contigit ut naturam eius ingeniumque plane intellegeret.

Vita.

Natus sum Bernardus Ernestus Horst Jaeger a. d. VIII. Id. Mai. MDCCCLXXXIV. Berolini patre Ernesto mihi iuveni a. MCMNI ablato matre Maria e gente Hirsch. Fidem profiteor evangelicam. Postquam inde ab a. MDCCCXC. usque ad a. MCMIII. gymnasium regium Charlottenburgense frequentavi sub auspiciis Ferdinandi Schultz † et Conradi Rethwisch, quibus viris doctissimis non minus quam Reinholdo Gottschick, qui per sex annos mihi erat magister ordinarius, gratum animum semper reservabo, examine maturitatis peracto adscriptus sum Gierke rectore universitatis Berolinensis civibus, ubi per undecim semestria in historicis studiis et philologicis versatus sum. Militavi inde a mense Oct. a. MCMIII usque ad eundem mensem a. MCMIV in cohorte praetoria, quae habet nomen ab Elisabetha regina.

Docuerunt me viri doctissimi: Delbrück, Delmer, Dibelius, H. Diels, O. Hirschfeld, Kekule v. Stradonitz, Klebs, Lasson, Lenz, Ed. Meyer, Münch, Norden, Paulsen †, Reich, Riehl, Runze, Schultz-Gora, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff.

Sodalis fui ordinarius proseminarii philologici per semestre, per idem tempus extraordinarius. Benigne me admiserunt ad exercitationes historicas O. Hirschfeld, archaeologicas Kekule v. Stradonitz, paedagogicas Münch.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago maximas; praecipue grato semper colam animo Ottonem Hirschfeld, qui studiis meis viam libenter monstravit atque rationem.